VXORE DIMISSA PROPTER FORnicationem aliam non licet superinducere.

TERTIA THESIS IOANNIS HOWSONI INceptoris in Sacra Theologia, proposita & disputata in Vesperijs

Oxonij. 1602.

ACCESSIT EIVSDEM THESEOS defensio contra reprehensiones T. Pij S. T. Doctoris.

OXONIÆ.

Excudebat Josephus Barnesius, & veneunt Londini apud Simonem Waterson in cœmeterio Pauline ad signum Coronæ. 1606.

Ad Lectorem.

NVmerus paginarum editionis Oxoniensis *Anno* 1602. in hac editione ad marginem notatur, quia iuxta numerum paginarum illius editionis, invenienda sint loca, quæ in defensione huius tractatus annotantur.

NOn me latet quam infenſo & inimico animo ſcholaſticas diſputationes hodierno die ingrediantur Theologi: non ſũ neſcius ipſam aliquando pietatis propoſitionem in tranſgreſſionis vitiũ verti, (quod *Gregorius* magnus conqueſtus eſt) dum intentionem bonam nequaquã locutio cauta & cogitata ſubſequitur: video multos ſũpſiſſe quod accuſarent, non inveniſſe quod refellerent: conqueror multa gravitèr & ſeriò exagitata, quę à nemine poſita aut cogitata, ex conſequẽtibus emergere volunt: doleo optima à fortibus dici, quæ infirmi idcircò dijudicant quia ignorant: deploro inſitam quorũdam à naturâ, aut certè voluntariè aſſumptã cordis ſuperbiam, quam αλαζονείαν, & certitudinem in doctrinâ vocant, qua plerunq; evenit vt in ſententia illa, quam privatim conceperint, & in ſcripturas intulerint, pro ſuo libitu rigidi atq; immoti conſiſtant: deniq; non poſſum illos non execrari, qui morem illum antiquũ referunt Elihu cum Iobo diſputantis, qui (vt Gregorio placet) dum cũ auſteritate ſtuduit increpare quæ dicta ſunt, mentiens addit quæ dicta non ſunt. 1 Moral. li. 5. c. 2 Moral. li. 3. c. 16

Mihi quidem in animo non eſt, (abſit enim vt in quo alios dijudicem, me ipſum cõdemnem) in cuiuſquam contumeliam rem controverſam, & plenam diſſenſionis inter doctiſſimos, minus candidè tractare & contemplari; aut veritatis inquiſitionem, in maledictionis culpam detorquere; aut ſumere mihi quẽ accuſem aut refellam; ſed poſitam a Patribus doctrinam, ab Eccleſia confirmatam, a neotericis non ſine

probabili fortassis rationum specie reprobatam, dilucidiùs, vnico auxiliari adducto argumento ex ipsis scripturis explicare,

Quod si παράδοξον, & præter opinionem communē receptum vobis esse videbitur, non eo nomine reijciendum aut aspernandum est: non enim adhibetur ad
3 novum aliquod dogma importandum, aut nascentem opinionem confirmandā, sed acri potius iudicio perpendendum est, quòd subdifficilem quæstionem, & iam diu inter doctissimos exagitatam, si verum sit, persolvet, fin minus, partes quas tueor, nec debilitabit nec affliget suis, & antiquis viribus se sustentabit hæc thesis, & quæcunq; contraria & adversantia tela facilè repellet, & fugabit.

Quapropter duas priores quæstiones tanquam minus controversas (sicco, quod aiunt pede) præteribo, & totū id quod concessum erit temporis, in vltima discutiendâ consumam; præsertim cum ea si probè fuerit cognita & perspecta, magno futura sit & ecclesiæ & reip: emolumento.

Principio, cum deus Adamo, quem solum vivere non oportebat, vxorē fabricaret, quò maiore inter se charitatis & amoris vinculo colligarentur, vxorem nec è nihilo, nec è terrâ, nec ex aliquo simplici elemēto, aut alio eōposito corpore formabat, sed eam conflabat ex Adamo solo, vt sic esset os ex ossibus, & caro
4 ex carne eius, illiq; tam tenacitèr adhęreret, quā ipsi prius illud os inhęserat; præsertim cum is, qui primū ex vno duos composuerat, iam rursus duos in vnum confecerit.

Hoc autē matrimonij vinculū, hæc consociatio, non Adamū tantū devinxit, verum ad omnes illius

posteros

posteros etiam pertinuit; & in ius naturale statim pervasit, cum apud singulos obtineret, nō vt aliquid constitutione humanâ impositū, sed vt quiddam naturę instinctu, edoctū: hinc verò est quòd in lege Mosaica non necesse fuit singulare aliquod mandatum præcipi, cū lex & conditio ipsius naturæ hoc vinculū firmum esse & insolubile prius impressérat & inculcarat.

Verum enimuerò cū Moses ab hac communi lege naturæ, propter duritiā cordiū, Iudęis dispensationē indulserat, vt illis liceret, (etiam reclamante matrimonij vinculo, simplicitèr, & intimè in sua natura insolubili,) quodā in casu vxores dimittere, & alias superinducere, hinc tandem varijs concupiscentijs obscurata lege naturæ, suborta est dubitatio, vtrū hoc vinculū esset solubile necne? & vtrū hæc dispensatio esset tantùm toleratio quædā Judæis peculiariter & vnicè concessa, an potius lex naturæ apud omnes insita & innata? 5

Quam quidē litem componendā Scribę & Pharisæi Seruatori nostro proponebant, nō tam proficiēdi spe, quam ipsū tentandi libidine, qui ipse Matthæi 19. explicatè definit & determinat diuortium esse dispensationem Judæis propter eorum infirmitates permissā, cum tamen primitùs sic non esset in lege naturæ, quæ ijsdem terminis & cancellis, quibus ipsa natura, circumscribi debet: hāc enim vir adhæreat vxori: & sint duo in carne vnā: & sint non duo, sed vna caro: & deus conjunxit, & homo separare non debet: separationē igitur inducere, & ducere aliam, simplicitèr nulla interpositā conditione adulterium nuncupat: legem ipsam naturæ, non expressam satis, 6

sed Judaicis erroribus implicitam & involutã apud Marcum & Lucam explicans, *Quicunq; dimiserit vxorem suam; & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si vxor dimiserit virum, & alij nupserit, machatur.*

Marc. 10. vers. 11. Luc. 16. ver. 18.

Hanc porrò legem divinam, ad quam non docti, sed facti & efformati sumus, & quam etiam servator noster ità demũ redintegravit, & corroboravit, Apostolus Paulus eadẽ prorsus ratione Corinthijs innuit & iniungit sub nomine & forma legis, quam quidẽ legem, naturalem & nobis medullitùs insculptam necesse est vt judicemus: *Mulier alligata est legi quãto tempore vir eius vivit, quod si dormivit vir eius, liberata est à lege, cui autem vult nubat in domino.* Proinde hanc legem idem Apostolus ad Romanos 7. *legem viri* nominat, quę mulierem astringit & obligat non solùm quamdiu vna cum viro voluntate & animo conspirat, verũ etiam quamdiu spiritũ ipsũ & vitam ducit. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est lege, si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri*: quæ verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt, vt inquit Augustinus.

1. Cor. 7. 39.

Rom. 7. 1.

Aug. de adul. con. lib. 2. ca. 4

Veruntamen lis quædam & disceptatio pendet adhuc inter recentiores Theologos, vtrum hæc dispensatio Judæis concessa, obtineret in omnibus omninò causis, an in adulterio tantùm.

Sunt qui existimant adulterium in natura sua sic quasi ex diametro opponi bono matrimonij, vt ex eo, iure naturæ, substantia matrimonij & vinculum foret actu solutum, & non tantùm solubile ex pœnâ mortis: & sic volunt cùm ante legem Mosis lege naturæ

turæ, tum in lege Mosis lege scriptâ, tum post illam abrogatam lege gratię & Evangelij, potuisse & posse hominem propter adulterium vxorem dimittere, & 8
aliam ducere: & arbitrantur prętereà, per indulgentiam Mosis, Iudæis licuisse illud idem præstare, κατὰ πᾶσαν αἰτίαν id est quacunq; de causa.

Quod sanè eorum fundamentum, ex communi quodam errore conflatum, cum & multis imposuerit, & pro veritate diutiùs invaluerit, quid mirum si multi docti & illustres viri, ad stipitem hunc offendetint, iudicantes vinculum hoc per adulterium dissolui posse, & proinde iustum & æquum esse aliam superinducere, cum priores nuptiæ disrumpantur, & excindantur.

Alij autem sunt, qui opinantur adulterium, actum quidem & vsum matrimonij impedire, & corrumpere; nexum verò matrimonij fuisse, & esse insolubilẽ, tum in lege naturæ, tum in lege Evangelicâ, nisi in morte coniugis, aut communi per legem naturæ, aut violentâ per legem adulterij, vbi illa lex obtineret: & arbitrantur dispensationem illam concessam Iudæis propter cordiũ duritiam, qua liceret ijs vxores dimittere, & alias superinducere, in causa adulterij tantùm 9
fuisse, quæ etiam dispensatio per adventum Christi sublata foret, & antiquata; & idcircò iam nullo modo licere vxorem dimittere, & ea vivente aliam ducere.

Huiusmodi autem argumento nituntur; *Divortiũ quod concedebatur Iudæis propter duritiam cordium, (vt videlicet vxores dimitterent & alias ducerent) sublatum est per adventũ Christi; Sed illud divortiũ fuit solùm propter adulterium*; Ergo *Divortiũ propter adulterium sublatum est per adventum Christi*, &

pro-

proinde iam non licet, ne propter adulterium quidem vxores dimittere & alias ducere.

Maior nostra propositio vel luce meridianâ clarior existit, nempe dispensationem hanc Judæis solúm fuisse propriam & germanam, & eam porrò, vnà cũ reliquis Mosaicis dispensationibus adventu Christi labefactatam & fractam funditus concidisse.

10 Verùm in minore aliqua difficultas subesse iudicetur, cum ea quamplurimis forsan paradoxon, & præter opinionem omniũ inducta videatur: Quòd scilicet *divortium Judæis permissum fuerit in adulterio solo*: Quam quidem propositionem dum ex sacris literis confirmavero, vos oro & obtestor, vt mihi orã solventi bene ominari velitis, & solitam vestram benevolentiam & attentionem concedere, sublato omni opinionis prius susceptæ, & à quibusdam non sine aliqua veritatis specie & similitudine defensitatæ, præiudicio.

Vis enim & veritas huius doctrinæ, nec ex auctoritate humanâ exprimitur, nec é patribus ecclesiæ primitivæ, nec ex aliquo subnovitio scriptore ducitur, sed ex ipsissima litera legis, Deuteronomij 24. decerpitur, vbi dispensatio ista Judæis indulta est: illic enim sic scriptum reperiemus: *si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet*
11 *libellum repudij*, & quæ sequuntur.

Vbi ex litera legis, necesse est vt intelligatur vel adulterium, vel impudicitia aliqua carnalis, esse causa divortij. Dubitari enim nõ potest, quin Deus evidẽtem aliquã causam istius dispensationis proponeret, & illam nec vt individuum vagũ, nec vt aliquid indeter-

terminatum relinqueret, ne populus ex imperfectione legis, in aliquos errores & adulteria incideret, & culpam in legem & legislatorē conijceret. Adulterium autem esse manifestam illam & vnicam causā expressam in verbo legis, ex legis litera luculētèr cōstat; neq; verò expectandum est, vt ipsum verbū *fornicationis*, quo vtitur Servator noster in Evangelio, reperiatur in litera legis Mosaicæ, cum in Mose vix aut ne vix quidem vsurpetur ad corporalem aliquam labem & immunditiā denotandā, sed tantùm ad spiritualem, id est idololatriā, vel fallā doctrinam significandam. Hoc autem peccatum πορνείας explicat Moses per verba, *nuditatis, fœditatis, turpitudinis, pollutionis, pravitatis, stultitiæ, prævaricationis*, et similia. 12

Vtitur verò in hac lege verbo *Hervath*, quod nuditatem Hebræi vocant, ab *Harah*, quod significat nudare & discooperire; quæ Hebraica locutio aut adulteriū, aut carnalem impuritatem denotat; vt videre licet passim in scripturis, et in observationibus omnium interpretum.

Proindè Septuaginta legunt ὅτι εὕρηκεν ἐν αὐτῇ ἄσχημον πρᾶγμα, *opus fœdū*, quo verbo Apostolus Paulus vtitur ad Romanos 1. vers. 27. ad spurcitiem et impudicitiam exprimendā, ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὴν ἀσχημοσύνην κατεργάζόμενοι: similitèr etiam 1. ad Corinth. ca. 12. ver. 23. *In honesta nostra honestatem abundantiorem habent.* τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν εὐσχημοσύνην περισσοτέραν ἔχει: eadē insuper phrasis eodē planè sensu vsurpatur 1. ad Corinthios 7. Apocalipseos 16.

Castalion legit, *cum aliquid in ea offenderit inhonestum*: Interpretes ex Septuagintâ, *Quoniam invenit in eâ rem fœdam*: Vetus interpres, si non inve- 13

nerit gratiam propter aliquam fæditatem, id est, secundum glossam interlinearem propter peccatum quod cognoscit in eâ: Hoc autem vocabulo fæditatis vetus interpres frequentiùs vtitur ad carnalem impuritatem denotandam, vt Geneseos 34. vers. 7. dicitur, *Quòd Sichem vi Dinam opprimendo fædam rẽ operatus esset in Israel*; eadem etiam locutio vsurpatur 2. Samuelis 16.21. & Levitici 15.3.18. vers. 19.

Tremelius verò & *Iunius* sic habent: si *deprehenderit in ea turpem rem aliquam*, & ad marginem opponunt, *nuditatem rei*, pro Hebraismo: vbi subindicant, quod hęc vocabula *turpitudinis* & *nuditatis* inter se sensu cõveniunt, cũ idẽ verbũ, quod hic rẽ turpẽ nuncupant, ijdẽ ipsi multoties nuditatẽ reddunt, vt, *Lev.* 18. *Nuditatẽ nurus tuæ ne retegito, nuditatem fratriæ tuæ ne retegito*, quibus in locis per *nuditatem* carnalem immunditiã intelligunt, vt consentiens est omnium opinio.

14 Cum igitur in originali textu, Deuteronomij 24. & 2. dispensatio dimittendi vxorem, et aliam ducẽdi sit ob hanc solùm causam, *si invenerit in eâ nuditatẽ rei*; (quod verbum significat eiusmodi immũditiem, quæ sit adulteriũ, aut incestus, aut saltem impudicitia aliqua) cum ἀσχημοσύνη, quâ voce vtuntur Septuaginta, apud Paulum idem peccatum denotet: deniq; cum *fæditas*, *turpitudo*, *inhonestas* (quæ vocabula alij interpretes vsurpant) eandẽ planè immunditiẽ nobis præ oculis ponant, hinc tandẽ colligimus literã Mosaicam, divortium et secundas nuptias propter adulterium solum apud Iudæos instituisse.

Aut vt seruator noster transfert πορνείαν. 1. illicitam venerem. Mat. 5. & Mat. 19.

Veruntamen huic literæ textus tam dilucidę, tam nativæ, vt qui ad eam impingit, ad solem ipsum caligare

gare et cæcutire videatur, addo vlterius interpretationem Pauli Episcopi Burgensis, natu quidem et institutione Judæi, et in omni doctrinâ Rabbinorum excultissimi, fide tamen et cõversione Christiani Episcopi. Idem hic in suis additionibus super Lyram Deut. 24. cõcludit, quòd *nullo modo licebat Iudæo secundũ hanc legem repudiare vxorem, nisi propter eiusmodi turpitudinem quæ fornicationem includit*: hanc quoq; esse opinionem Hebræorũ, Abulensis fatetur. Burgen. in addit ad Lyram; super Deut. 24 15

Quemadmodum igitur Origenes Adimantius ætatis suæ doctorũ omniũ primus et facilè princeps, cum Esaiam Prophetam interpretaretur, minimè dedecori sibi esse duxit ad Hebræum quendam Rabbinum confugere, vt ab eo disceret, vbi olim vrbs Ariel fuisset, illiusq; iudiciũ sequutus, ea revocaret quę antea scripserat: sic etiam pari ratione nobis nec indignum, nec indecorum putemus, in sententiam huius conversi Iudæi, tanquam pedarij senatores, ire, & illius iudicio potiùs adhærescere, quam aliorum opiniones mordicùs tueri; qui alijs fortasse scientijs maximè et florent, et floruerũt: præsertim cum vis et natura Hebrææ vocis sit dijudicanda, et dignoscenda lex, illi genti tantùm accommodata. Quamvis enim Origenes, inter Christianos peritissimus esset, et omni doctrinarum genere florentissimus, in Judaicâ tamen historiâ, Hebræo in re sua versatissimo, et maximè exercitato cedere voluit, quem omnibus alijs in disciplinis, multis (quod aiunt) parasangis longè anteibat. 16

Verùm missam facio horum autoritatem, quamvis magni apud me põderis et momẽti: et nihil hinc accipiam, nihil sumam ad meas partes corroboran-

das, ſi robur & firmitatem ſententiæ meę, Servatoris noſtri teſtimonio planiùs & apertiùs non confirmavero. Cum enim, Matthæi. 5. contenderet Servator noſter populo Iudaico perſuadere, vt mandatis legis Moſaicæ, debitâ obſervantiâ, iuſtoq; obſequio obediret & obtempetaret, verum intellectum ipſorum declarando, & errores Judæorum circa legem ortos excludendo: interpretabatur ſex leges, tres negativas, legem nimirũ *homicidij*, *adulterij*, *iuriſiurãdi* & 17 *periurij*: & tres affirmativas, legem ſcilicet *repudij*, *talionis*, vel *vindictæ*, & *charitatis*; in quibus omnibus agebat non legiſlatorem, ſed legis interpretem, & inſtauratorem, vt de eo idem ſentiunt ad vnum omnes ferè & veteres, & novi interpretes. nam etſi videatur aliqua addere, tamen non ſunt verè addita; cum in ipſo mandato vt implicita & conſequentia contineantur; ſed ponuntur potiùs per viam declarationis propter imperitos, à Scribis & Phariſæis non fideliter inſtructos.

Proinde in tribus negativis legibus, videlicet *Non occides*, *Non concupiſces*, *Non peierabis*, habebant Judæi veram literam ipſius legis, verumq; ſenſũ, ſed non plenum; & id quod iuſtum & æquum fuit ſentiebant, verùm aliquid tamen amplius, quam ipſi cogitabãt, aut ſuſpicabãtur, ab ipſis deſiderabatur. Exiſtimabant enim adulterium eſſe prohibitum, & in hoc rectè cenſebant; at verò ineffrænatam & luxuriantem concupiſcentiam eſſe comprimendã & co-18 ercendam nõ intelligebant; & in eo miſerè deviabãt: noverunt quidem, ſibi homicidio fuiſſe interdictum, & in hoc, rem (quod aiunt) acu tãgebant: percuſſionẽ tamen, vulnerationem, iracundiam, & violentũ mentis

tis impetum æquè esse prohibitum non agnoscebāt, & in eo, toto (quod dicitur) cælo aberrabant. At verò in affirmatiuis mandatis & a literâ, & proinde à sensu ipsius legis penitus erāt aversi & alieni, eò quòd opinabantur legem Mosaicam omni in causa divortium & secundas nuptias admittere; & similiter in reliquis.

Hos igitur errores, vel potius traditiones Pharisaicas, Servator noster in meliùs format & effingit; & quamvis apud populum Judaicum altissimis erant defixi radicibus, eos tamen funditùs evellit, & extirpat, cum sic sensum & mentem Mosaicæ legis eruit & explicat; vbi dictum erat antiquis *Non occides*, vt vim, pondus, ac mensuram istius legis populo ante oculos proponeret, inquit, *Ego dico vobis* quod dictū est etiam antiquis, & lege Mosis sancitum & confirmatum. *Quod omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicij*, & quæ sequuntur: & vbi dictum erat antiquis *Non mœchaberis*, vt abditum & latentem sensum istius legis evolueret, & enodaret, inquit, *Ego autem dico vobis*, *quod* dictum est etiā antiquis, & lege Mosis pariter ratū & stabilitū, *Quòd omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam*, is *mœchatus eſt eam in corde ſuo*: deniq; vbi dictum erat, *Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam det ei libellum repudij*, vt vim & energiam istius pariter legis explicaret, inquit, *Ego dico vobis* quod dictum est etiam antiquis, & lege Mosis præscriptum & impositum, *Quod omnis qui dimiſerit vxorem ſuam excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* 19

Hinc autem singulare quiddam, & id quod observatu dignissimum est percipere possumus. Cū enim

Servator noſter exhibet populo & proponit legem,
in qua non iuxta literam, ſed iuxta ſolummodò ſenſũ
20 errabant Iudæi & deviabant, vtitur hac phraſi, quaſi
procœmij in loco, *Dictum eſt antiquis*, id eſt, dictum
eſt parẽtibus veſtris antiquitùs, in primâ nempe crea-
atione & inſtitutione legis, *Non occides, Non concu-
piſces, non peierabis*, & ita reverâ eorum maioribus
antiquitùs in prima promulgatione legis dictũ fuit:
cum verò exterminat quaſi, & exturbat phantaſma-
ta quædam, aut traditiones Phariſaicas, quas Scribæ
& Phariſæi, inſtar ſanctæ legis avidiùs amplexaban-
tur, cum in legis ipſa litera & natura nihil eſſet minus,
in illis locis non dicit, *Dictum eſt antiquis*, (tanquam
illud eſſet aliquid prolatum à Moſe parentibus ipſo-
rum) ſed tantùm inquit, *Dictum eſt*, nempe per Scri-
bas & Phariſæos, vt videre eſt in tribus affirmativis
legibus: nam putabant Iudæi legem illam *Deut.* 19.
Oculum pro oculo, dentem pro dente, ad populum &
21 priuatum quemq; pertinere, quæ ſolùm ad magiſtra-
tum ſpectabat: putabant etiam legem illam *Lev.* 19.
Diliges proximum tuum, inſinuare, *& odio habebis
inimicum*: cum lex nihil huiuſmodi præcipiebat: de-
niq; putabant legem illam repudij, *Deut.* 24. huiuſ-
modi eſſe, vt quicunq; vellet, dimitteret vxorem, mo-
dò daret illi libellum repudij, cum lex illa repudium
ad fornicationem ſolam reſtringebat: vnde Servator
noſter explicans legem, ait, *Ego dico vobis*, quod per
legem Moſis (non eſt. n. ille legiſlator ſed interpres)
*Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, exceptâ cauſâ for-
nicationis, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxe-
rit, adulterat*: & idcircò in procœmio ad has tres leges
non ait *Dictum eſt antiquis*, id eſt, parentibus veſtris

per

per Mosem, *Oculum pro oculo, dentem pro dente: diliges proximum, & odio habebis inimicum: & quicunq; velit dimittere vxorem, det ei libellum repudij*, & satis erit: sed ait solummodò *Dictum est*, non *antiquis* per Mosem, sed *vobis* per Scribas & Pharisæos; vt intelligamus hæc esse potiùs inventa & traditiones Pharisæorum & Scribarum, quàm leges aliquas per Mo- 22
sem antiquitùs stabilitas.

Quapropter nisi Servator noster interpretatus fuerit quinq; leges, & sextam de nova præscripserit, id quod vix verisimile est: & nisi primæ & postremæ leges fuerint Mosis explicationes, & in medio fuerit nova quædã lex eo temporis puncto sancita, id quod mihi incredibile videtur: postremò, nisi hoc ipsum (*Ego dico vobis*) in quinq; legibus referatur ad Mosem, et in sexta lege recidat in Christum, id quod (vt mea fert opinio) ab omni prorsus ratione abhorret: certum profectò et definitum est, iudice et interprete Christo, dispensationem illam divortij, lege Mosaicâ in adulterio tantùm prævaluisse.

Hìc autem est (Auditores) quod vos etiam atq; etiam obtester, vt de hac scriptura sæpè et multùm cogitetis, et eam diligenti, quod aiunt, trutinâ ponderetis: estote quæso iusti et æqui rerum verborũq; æstimatores, et ne finite vosmetipsos in re tam gra- 23
vi et tam perspicuâ diutiùs labi, errare, decipi: vobis indignum iudicatote aliorum sententiâ quasi torrente rapi, & opinionis alienæ quasi vento circumferri.

Præterea possum hìc testimonio Servatoris nostri, *Mat. 19.* confirmare divortium à Mose esse institutum adulterij tantùm in causa: quod dum fecero, peto à vobis, vt attenti et benevoli, sicut estis, esse ve-

litis:

litis: cupio enim omnia ad hunc locum tanquam ad Lydium lapidem examinari, qui fortasse vobis videatur meam sententiam vel maxime impugnare. Certè quidem liberè agnosco et confiteor, hunc locum, ex omnibus scripturæ locis esse maximè propriũ & accommodatum ad hanc quæstionem definiendam, quippe quòd in eo hæc ipsa quæstio planiùs proponitur, *Si liceat Iudæis vxores dimittere quacunq; de causa.* Quo in loco observetis velim, primùm quæstionem ipsam, deinde Servatoris nostri responsum.

24 Quod ad primum spectat, dicitur, *Accesserunt ad eum Pharisæi tentantes illum*, vbi autem istiusmodi phrasis vsurpatur, eum cum dilemmate quodam et *Crocodilino* argumẽto adoriuntur, sibijpsis planè persuadentes, quicquid is responderit, se tamen nacturos esse quod calumnientur. Illi igitur cornutã hanc & implicatam movent quęstionem, nimirum, si liceat vxorem dimitttere quacunq; de causa: si autem dixisset negativè, *non licere*, accusassent eum tanquã Mosi contrarium & repugnantem: si vero respondisset affirmativè *licere*, tum sanè insimulassent eum quasi violatorem legis naturæ, & expugnatorem institutionis matrimonij, eiusq; doctrinam arguissent vt imperfectam, & ad omnes nefarias libidines viam egregiè præmunientem.

Quo igitur Servator noster, in hoc quasi Isthmo cõstitutus, vtrũq; cornu tortuosę & spinosæ huius ar-
25 gumentationis effugeret, respondet quidem, verùm nec negando legem Dei & naturæ in prima institutione; nec legem Mosis violando, in dispensatione Judęis prius exhibita, sed potius asserendo non omnino licere quoad primã institutionem; *Non legisti in-*

irquit, quia qui creavit hominem ab initio masculum & fœminam creavit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne unâ, itaq; iam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus coniunxit homo non separet.

Deindè cum illum altero cornu premere conarẽtur, & contentiús elaborarent, legemq; Mosaicam prædicarent, dicentes, *Cur ergo Moses præcepit dare libellum repudij & dimittere*, videlicet, quacunq; de causa. (in eo enim totius quæstionis quasi cardo versabatur:) si hic respondisset minuendo authoritatem Mosis, & illius legem penitùs abrogando, captus fuisset illicò, & eorũ laqueis irretitus; sicq; eũ vel magistratui tradidissent, vel ipsi eum lapidibus oppressissent: proindè ille legem Mosaicam vel maximè approbat, & dispensationem illam liberrimè agnoscit, eò quòd dicit, *propter duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, quod tamen non fuit sic ab initio*: nec in lege naturæ, nec in institutione matrimonij; vos tamen legem illam malè & perperã intelligitis, dum sic estis animati, quasi permiserat ille dimittere uxores vestras quacunq; de causa: permisit quidẽ dimittere uxores, sed non quacunq; de causa, *Dico enim vobis, quia quicũq; dimiserit uxorẽ suã, nisi ob fornicationẽ, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit mœchatur*; *Ego dico vobis*, non id, quod ipse iam primum constituit, sed id, quod Moses multis abhinc sæculis parentibus vestris promulgavit; tota enim quæstio in mente ac sententia Mosis indagandâ & explorandâ versabatur. 26 27

Quinimò cõmittitur hìc fallacia secundum plures interrogationes. Primò enim interrogant Chri-

ſtum *an liceat vxorem dimittere quacunq; de cauſa*, deinde, *an non mandavit Moſes dare libellum repudij &c.* quaſi inde ſequeretur, ſi Moſes mandavit dare libellum repudij & dimittere, ergo licet dimittere quacunq; de cauſa: fieri autem nec commodè, nec omnino poteſt, vt duæ quæſtiones quas hæc poſterior poteſtate continet, vna ſimplici vel negatione, vel affirmatione determinentur: idcirco vt fallaciã hanc evitaret & excuteret, aliam viam ingreditur, & duplicem inſtituit reſponſionem; vnam quidẽ affirmativã, *Moſes permiſit dare libellum repudii*, alterã verò negativam, Moſes nõ permiſit dare libellum repudij, & vxores dimittere quacunq; de cauſa: nã ego dico vobis, quòd lege Moſis hoc ſtatutũ eſt & definitũ, *Quicunq; dimiſerit vxorẽ ſuã niſi ob fornicationẽ & alĩ duxerit, mœchatur, & qui dimiſſã duxerit, mœchatur.*

Quamvis autem hæc interpretatio illis fortaſſe nova & invſitata videatur, qui in hac quæſtione mul-
28 tum & diu deſudarunt, mihi tamen planè perſuadeo, quod et illi ijdem confitebuntur, cum cognoverint et perſpexerint omnes quæ occurrunt circumſtantias, hanc interpretationẽ ſcripturæ illi maximè cõvenire; præſertim ſi penitiùs exploraverint quantas perturbationes, et quam frequentes tragædias, cum apud veteres tum novos ſcriptores, hic locus vel malé, vel non omnino intellectus excitaverit, tam in ijs qui poſt divortium nuptias introduxerunt, quam in ijs qui ſecundis nuptijs vel pugnaciſſimé reſtiterunt.

Simplex verò & aperta huius interpretationis veritas hinc vel maximé elucet, quòd & ij qui nobis alium ſenſum obtrudunt, et exiſtimant Servatorem noſtrum legem Evangelicam inſtituere, et diſpenſa-

tionem

tionem Mosaicam prorsus improbare, coguntur & impelluntur illius sensum huc & illuc diversimodè torquere & flectere, & ad varias nescio quas mutationes confugere: dum alij hunc locũ mutilant & luxant, alij addunt aut detrahunt: alij elutiùs quam par 29
est excolunt, vt eum miserè terendo aliquid novi exprimant: omnes id obnixè contendunt, vt vnicè statuant, quod ad ipsorũ palatum maximè sapit: in quo nudam hanc & dilucidã interpretationem eludunt, & perspicuitate huius loci inconsultiùs abutuntur: ex hac porro multiplici & infinita opinionum varietate, intelligere possumus eos extra chorum, quod aiunt, saltasse, in hoc loco enodando & enucleando, et in errores incidisse, et coniecturâ aberrasse, cum veritas sit vnica, simplex, et expedita, error autem multiplex, et varijs involucris quasi velis obductus.

Caietanus enim et deinde *Beza*, licet in quæstione hac diversũ sentiant, in hoc tamen conveniunt, quod vltimæ parti huius sententiæ adijciunt, *Nisi causa* Caieta.
fornicationis. Ego dico vobis quicunq; dimiserit vxo- Beza.
rem suam nisi causa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, (nisi ob causam fornicationis,) *mœchatur.*

Lyranus arbitratur literam huius loci deficere, & 30
interponendum ac inserendum putat verbũ, *peccat: Quicunq; dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem*, peccat, & legem matrimonij violat & infringit.

Quidam alij suspicantur illa verba, *Nisi causa for-* Aug.
nicationis, in textum irrepsisse, & in quibusdam exemplaribus non inveniri.

Durandus, 4. dist. 35. quæst. 2. affirmat Christum loqui *præsuppositâ lege veteri quæ iubebat adulteros* Duran.

occidi; & hac lege seruatâ licebat in causa fornicationis vxorem dimittere, & aliam ducere, nimirum, quia propter adulteræ supplicium extremum, dirimebatur vinculum coniugij. Non animadvertit ille, quod potuit multis modis impediri & procrastinari mors adulteræ, vel quia fugeret in aliã regionem: vel quia non posset duobus testibus probari et propalari adulterium, etiamsi viro cognitum esset & exploratum: deinde interficere vxorem nõ est eam dimittere, nec rectè possit dici alia duci priore dimissâ; cum prior
31 non viuit, sed vitam cum morte commutavit.

Asserit *Tertullianus*, libro 4. in *Marcionem*, Christum *conditionaliter hic instituisse diuortij prohibitionem, si ideò quis dimittet vxorem, vt aliam ducat.*

Bellarminus multa phantasmata, & insomnia nescio quæ excogitat, quorum ne vestigia quidẽ in textu expressa vel adumbrata reperiantur; & quamvis ipse sentit, quam sint ea ad suas partes corroborandas perexigua et planè nulla munimenta, tamen ne obmutescere videatur, speciem aliquam probabilitatis excogitat, quâ scilicet persuadeat, verba illa, *Nisi ob causam fornicationis* non redundare, si non licet dimittere ob fornicationem, & aliam ducere. Fingit enim Pharisæos venisse eo animo & cõsilio, quo Christum tentarent, et in sermonibus irretirent, quia iam audierant eum in monte quædam disseruisse contra libellum repudij, à Mose in lege concessum, (quod figmentũ est et vanitas, nullis fulta adminiculis, nullis nixa vel saltem vmbris rationum:) & cum videret
32 Christus auditores minùs dociles, vel ineptos potiùs ad tanta mysteria percipienda, respondet (inquit) ad interrogata præcisè, verùm an liceat dimittere forni-

cari-

riam quoad vinculum, et aliam ducere, hoc apertè dicere noluit, quia id altius erat quàm ab ijs concipi aut cogitari posset: quam tamen opinionem ipse volens nolens retellit, asserens ex ijs quæ dominus dixerat de prima origine instituti matrimonij, facilè hoc etiam intelligi posse; quærit igitur latebras & diverticula, tantas tamen in angustias coarctatur, vt nullo fuco, nullo artificio suam occulat in hac interpretatione ieiunitatem.

Alij, qui nolunt vllam particulam huius sententiæ obliterari aut expungi, ne sic tota esset manca et mutilata, affirmant hoc ipsum, *Nisi causa fornicationis*, quod habetur apud Matthæum, debere addi 10. Mar. et 16. Lucæ. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & aliã duxerit, mœchatur: & qui dimissã a viro ducit, mœchatur*: aliter enim (inquiunt) illi Euangelistæ inter sese pugnarent. Ista enim contradicentia sunt, *omnis qui dimiserit mœchatur*, id quod affirmat Marcus. et *non omnis qui dimiserit mœchatur*, id quod ex sententia Matthæi colligitur. Nã qui dimiserit causâ fornicationis non mœchatur: verùm si in sensu nostro accipiantur (nempè quòd in Matthæo sit expressa lex vel dispensatio Mosaica, in Marco verò et Lucâ lex divina primâ in institutione) tum optimè possent sine vlla additione aut contradictione, reconciliari. 33

Præterea sententia illa Mar. 10. vera est in sua ipsius natura, et non mutuatur verba aut interpretationem ex Matthæo; quamvis enim Evangelistæ omittunt interdum aliquid aut addunt, quod alij Evangelistæ non omiserunt, aut non addiderunt: nunquam tamen ità omittunt, vt exinde sententia reddatur falsa, si alios Evangelistas nõ consulamus. Si ergo hæc

verba, *nisi causa fornicationis* addenda sint necessariò ad alios Evãgelistas, certè Marcus & Lucas quãplurimos in errores varios deduxissent, quibus sua ipsorum Evangelia tradidissent, nisi eos ad alia Evangelia tanquam ad commentarios remisissent.

34 Certè quidem quando Marcus Romæ scripsit Evangelium ex prædicatione Petri acceptum, non remisit Romanos ad Evangelium Matthæi tanquam ad commentarium, imò si tum Romę Matthæi Evãgelium in manibus fidelium fuisset, credibile est Marcum scripturum non fuisse. Non enim scripsit Marcus vt Matthęo aliquid adderet, quod postea fecit Ioannes, sed tantùm vt haberent Romani id scriptum memoriæ gratiâ, quod solâ voce Petrus Apostolus illis tradiderat; hanc enim causam referunt Irenæus lib. 3. cap. 1. Eusebius lib. 2. historię ecclesiasticæ, cap. 15. & Hieronymus in libro de viris illustribus. Idem dicendum etiam de Luca, qui Evangelium scripsit ijs gentibus, quibus prædicaverat Paulus, & ad quas nondum pervenerant Matthæi vel Marci volumina. Oportet igitur vera esse absolutè quę Marcus & Lucas dicunt, neq; à verbis Matthæi dependere, nisi velimus deceptos fuisse eos qui sine Matthæo Marcũ & Lucam legebant.

Irę. lib. 3. 1. Eus. eccl. hist. li. 2. 15. Hier. de vi. illust.

Ad hęc, Sanctus *Augustinus* opinatur hanc particulam *Nisi* sumi *negativè*, non *exceptivè*, & vult eam non exclusivam aliquam exceptionem significare, sed potius intentionẽ, & *magis*, quod aiunt, & *minus* includere, ita vt hic sit sensus istius exceptionis *Nisi causa fornicationis*, vt illi magis peccent qui sine causa fornicationis divortium contrahunt: eos tamen vt adulterij reos arguit, qui propter causam

35

forni-

fornicationis vxorem dimittunt, & aliam ducunt.

Ianſenius vult illam exceptionem, *Niſi ob fornicationem*, non referendam eſſe ad totam orationem, ſed tantùm ad partem præcedentem, vt non ſignificetur licere ob fornicationem aliam ducere, ſed licere tantùm ob fornicationem vxorem dimittere, ita vt hic ſit ſenſus: Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, quod non licet niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.

Jam verò qui contrarias has & repugnantes inter ſe opiniones animo percurret, facilè perſpiciet quantos in labyrinthos illi inciderint, qui volunt hanc eſſe novam Chriſti legem, & non veterem Moſis diſpen- 36
ſationem. Nam cum nativus & germanus huius loci ſenſus ſit quaſi regia quędam via, cui inſiſtere ſine caſu vllo aut prolapſione poſſent, ab eo lōgè lateq; exorbitare, & ad diverticula quædam & Mæandros divagari, eſt in certiſſimum periculum imminentis erroris, aut hæreſeos incurrere.

Etenim vt *Auguſtinus* perhibet, dum *Socrates* ipſe omnia movet, aſſerit, deſtruit, quoniam nō evidenter quod quærebat apparuit, eius diſcipuli, quod cuique placuit, arripuerunt: ac inde ſumpſerunt, & vbicunq; viſum eſt, ibi finem boni poſuerunt: ſimili planè ratione dū vnus aliquis in primitiva Eccleſia (Patrum quiſquis fuit ille priorum) malè intelligit hanc phraſin, *Ego dico vobis*, eſſe potius correctionē quandam & emendationem legis Moſaicæ, quàm aſſeverationem aliquam aut explicationem illius, tota demum ſeries ſubſequentium ſcriptorū, cū diligentiùs animadverterant hunc textum cōmuni huic receptę veritati adverſari, (nimirum quod vinculum matri- 37
mo-

Aug. de civit. Dei li. 8, cap. 3.

monij esset omnino,& id divinitùs insolubile) contẽtiosissimè dimicarunt inter se,alij in siniſtram nimis hunc locum flectentes,alij autem nimis in dextram intendentes,& alios etiam in varias opiniones distrahentes.Ruere enim ipsi non possunt,nisi & alij etiam eodem labefactati casu simul concidant:vnde fit, vt illi,inconsultò a veritate longiùs abhorrentes,quamplurimos itidem alios in multa absurda secũ diduxerint,vt videre licet in ijs, qui eorum opinionibus se confidentiùs voverunt & consecrarunt.

Qui enim hanc scripturam quoad literam legunt, & inde correctionem Mosaicæ dispensationis,& novam Evangelicam legem expiscantur,in hoc tandẽ absurdum dilabuntur,vt quamvis vinculum sit solutum,& ambo liberi & immunes evadant, pars tamẽ nocens nullatenùs aliam superinducere permittatur.

Qui vero hanc quasi Scyllam prævidentes,vltimę clausulæ addunt, *Nisi propter fornicationem*, in aliã
38 paritèr Charybdin incidunt et impingũt; dum enim vtriſq; nuptias concedunt & largiuntur, constituunt meliori in statu & conditione dimissam ob fornicationem,quæ suum ad libitum&arbitrium denuò nubat,quàm eam quæ præter suam culpam dimittitur, cum illi hac lege nuptiæ secundæ interdicantur.

Alij suspicantes idipsum, *Ego dico vobis*, Matt. 5. (quod proculdubiò cum hoc consentit)esse additionem Servatoris nostri ad legem,& non explicationẽ legis;aut existimant cum Waldensibus, & Pelagianis,Non omnino licere iurare,quia dictum est per novam legem, *Ego dico vobis non iurare omnino*;aut cum Anabaptistis non licere Christiano homini secularem gerere magistratum,eò quod dictum est,

Ego

Ego autem dico vobis non resistere malo: aut denique cũ Pollentio illud verbo Dei licere, quod tacitis eorum iudicijs, reipub: optimè cõstitutę vel maximè repugnat: hoc autem est, post divortium propter adulteriũ, ad secundas nuptias se recipere.

Verùm vt multa alia absurda quæ ex hac interpretatione vberrimè scaturiunt, sicco (quod aiunt,) pede præteream, quantum ego assequor, vel manifestissimè apparebit, hanc phrasim, *Ego dico vobis*, non evincere hanc esse novam legem Evangelicam, & per consequens antiquationem legis Mosaicæ quoad divortium: cum Servator noster dum inter vivos ageret, veterem legem Mosis nec plenè, nec partim sustulerit. 39

Certo certius est Scribas et Pharisæos duplicitèr mandata Dei violasse: *primó*, observantiã et obsequium suarum traditionum magis exactè & rigidè à suis exigendo, quam scripta in lege Dei mandata: *secũdò*, ipsa Dei mandata, per suas novas traditiones, quasiq; expositiones perversas corrumpendo et adulterãdo: vt apparet in mandato *de honorandis parentibus*, *de homicidio*, *de adulterio*, *de charitate*, *de vindicta*, *de odio*, et *de divortijs*. *Primò* igitur sublatæ sunt per Christum, quantum potuit disputando et docendo efficere, traditiones illæ seniorum. Non enim ad ædificationem, sed ad onus inutile spectabant: vnde illas, *aniles fabulas* Paulus vocat, 1. ad Tim. 1. vt docet *Augustinus* contra adversarium legis et Prophetarum, lib. 2. cap. 1. Pullulabant autem & oriebantur hæ traditiones à recentibus Scribis et Doctoribus paulo ante adventum Christi, vt fusè et copiosè ostẽdit *Epiphanius* in hæresi *Ptolomæitarum*: et *Hieron-* 40

mus variis in locis, in caput 8. Esaiæ, in caput tertium Epistolæ ad Tit. in Epistola ad *Algasiam* quæstione decima: et *Irenæus* lib. 4. cap. 25. et 26. *Secundò*, emẽdatæ sunt à Christo Pharisaicæ depravationes, et corruptiones legum Mosaicarum, vt apparet Matth. 5. 15. veruntamen legem ipsam Mosaicam à Christo, dum humanam carnem circumgestabat, non deleri, nec antiquari, multis ijsq; firmissimis rationibus potest evinci.

41 *Primò*, testatur ipse Christus Matthęi quinto, *Non veni solvere legem*: hìc autem si interrogat quisquã, quî id fiat, aut quâ ratione constet, cum certum et exploratum sit, Christum legem sustulisse quoad ceremonialia & iudicialia eius præcepta, vnde et Divus Paulus affirmat, eum *medium parietem maceriæ soluisse, & legem mandatorum decreti exinaniisse*: præstò est quod respondeam: nempe Dominum dixisse se non venisse ad solvendam legem, quia non venerat vt in propria persona eam solueret, et aboleret, cum nouimus eam post Christi ascensum per Apostolos fuisse abrogatam.

Eph. 2. 14.

Secundò, iubet nos Christus *à Phariseorum fermento cavere*, Mat. 16. ver. 1. id est, à propria eorum doctrinâ ab ipsis adinuentâ: sed tamen iubet audire Scribas et Pharisæos super cathedram Mosis sedentes, id est, docentes ea quę per continuas et interruptas Prophetarum & parentum successiones à Mose acceperant.

42 *Tertiò*, Dominus non dicit, Mat. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam iustitia legis & prophetarum*, sed plus quam *iustitia Scribarum & Phariseorũ*; omnia enim ea præcepta quæ Dominus in illo capi-

to

te disposuit, erant in lege & Prophetis comprehensa, sed tamen non erant apud Scribas & Pharisæos, qui *secundùm legem* ea non intelligebant.

Quarto, Christus Evangelicam legem non stabilivit prius, quam animam *expiraret*: tum enim tandē protulit *consummatum est*. Nam Christus inter homines degens, suam promulgavit & prædicavit legem, quæ tamen tum demum inciperet obligare, cū ipse vltimam exhalans animam, veterem abrogaret. Tunc enim in ara crucis novo sacerdotio vetus antiquavit, & *translato sacerdotio*, tunc *necesse* fuit, vt ait Apostolus ad Hebræos, *vt legis trāslatio simul fieret*: & proinde statuunt Theologi, in ipso articulo in quo Christus animam expiravit, *mortuam* fuisse legem veterem, quamvis non fuerit statim *mortifera*. 43

Quintò non solùm Servator noster cautè & providé prospexit in omni sermone suo, ne interturbaret Judæos, pronunciando legem Mosis vel abrogatam esse, vel esse abrogandam; verum etiam discipuli eius, eo defuncto, tam erant faciles tam proclives in Judæos, vel credentes, vel credituros, vt abstinerent etiam ab immolatis, & circumcisionem non tollerēt, sed potiùs Timotheum futurum Episcopum circūciderent, ad Rom. 7. vbi concludere potuit Apostolus, homines liberos esse à lege, & non illi diutiùs emancipatos, quia lex est mortua, sicut dicit *vxorem liberari quando moritur vir eius*, tamen ne Judæis scrupulum aliquem injiceret, maluit invertere conclusionem, & dicere nos potiùs esse mortuos, quam ipsam legem, cum & hoc, & paritèr illud rectissimé potuerat affirmari.

Verùm vt concedam Servatorem nostrum suis in

sermonibus aliquando Judæis insinuasse, se velle ro-
bur & virtutem Mosaicæ legis aliquantulum infrin-
44 gere, & infirmare, (cuius sententiæ in gratiam non
memini me vnam in scripturis vel syllabam inveniſ-
se) certo tamen certius est, Christum hoc loco id nec
conatum esse, nec molitum; hîc enim quæ fuit Mosis
dispensatio, & prima Dei institutio, indicat tantùm
& enarrat.

Kemnitius autem observat, legē divortij corruptā
& depravatam per Scribas & Pharisæos; inquit enim
*Actio divortij apud Iudæos in eam levitatem degene-
ravit, vt ex quacunq; causa vxores dimitterent: Mat-
thæus dicit* κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, *hoc est, quicquid esset, cuius
poterant vxores insimulare, statim postulabant & pe-
tebant divortium*: videmus ergo *Kemnitio* iudice,
quod non lex Mosis, sed abusus potiùs & corruptio
Judæorum, divortium omni in causa comprobavit.
Quid autem Servator Christus? num legē Mosis pro
abusu & corruptelis Judæorum abolevit? aut signifi-
cavit dispensationem illam expirasse, & à carcere,
45 quòd aiunt, ad calcem perveniſſe? Certè quidē Ser-
vator noster Scribas & Pharisæos vel in eo confuta-
vit satis, cum ostendit, quod illi ipsi legem eam effre-
natâ & impudicâ licentiâ violassent, quæ esset solùm
dispensatio, propter cordis duritiem concessa, & ab
institutione matrimonij penitus aliena. Propterea
addit *Kemnitius, Christus in matrimonio nihil novi
instituit, sed restituit doctrinam ad primæuam in-
stitutionem*: atq; ita exponit insolubilitatem matri-
monij ex primâ institutione, & quibus in causis sit so-
lubile ex lege divortij.

Hactenus sententiam & interpretationem meā
ratio-

rationibus, quasi muris munivi satis, veruntamen ea ex Matthęi & Marci collatione luculētiùs adhuc cōstabit: inde enim intelligere possumus, Servatorem nostrum hac phrasi *Ego dico vobis*, legem Mosis noluisse abrogare. Nam Marci 10. Servator quæsivit, *quid Moses præcepisset*: quod fecit non tanquam ignorans; (quis enim eum nisi qui infantissimus est, ignorantiæ incusabit, in quo plenitudo omnis scientiæ habitavit?) sed vt se legis contemptorem non esse demonstraret, & vt aliam iustitutionem antiquiorem, primęvam scilicet & divinam induceret. 46

Deniq; vt huic rei finem tandem aliquando imponam; quæcūq; Christus addidit legi, ea certé perfectiora erant & magis absoluta, quam ea quæ vel in lege per Mosem mandata fuerant, vel ante Mosem per naturæ leges instituta, qualia sunt ea quę à nonnullis consilia Evangelica vocantur: sed post dimissam vxorem aliam superinducere, non sapit aliquam perfectionem, sed libertatem potiùs carnalē, & proinde verisimile est Christum illam superinductionem non addidisse.

Possum insuper multa probabilia argumenta, his (vti mihi videntur) demonstrationibus, è scripturarū fontibus petitis, quàm appositè addere.

Primò, dicitur Lev. 21. *Sacerdos scortum, aut vile prostibulum non ducet in vxorem, nec eam quæ repudiata est à marito*: videtur connumerare repudiatas inter meretrices, & sic tacitè insinuare divortium fuisse tantùm propter adulterium. Quæ enim ratio assignari vel excogitari potest, cur alij quidem possent, sacerdos non posset ducere repudiatam iniusta de causa, & pro voluntate viri tantummodò sepositam 47

& abdicatam? Licuit enim ſacerdoti viduam ducere, modò non eſſet ſummus ſacerdos.

Secundò, 22. *Deut.* dicitur *Si vir puellam virginẽ apprehendens dormierit cum ea, & res ad iudicium venerit, dabit vir ille patri puellæ quinquaginta ſicles argenti, & habebit eam vxorem, nec poterit eam dimittere cunctis diebus vitæ ſuæ*: ratio cur eam dimittere non poterat, non erat quod eam iam duxerat in vxorem, tum enim licebat vxores dimittere, vt patet Deuteron: viceſimo quarto, ſed quia eam inhoneſtè & inordinatè vitiaverat, & ipſe ei infamiæ labẽ aſperſerat, quam ob cauſam priuilegio diſpẽſationis
48 vir excidebat, cum poſtea nec infamiæ, nec peſſimi nominis maculam vxori inurere poſſet, eò quod ipſe vi & impetu eam primùm deturparat, & diffamarat, & in eo vim & rationem repudij irritam & inanẽ fecerat: ſi enim alias ob cauſas poterat etiam eam dimittere & eliminare, credibile eſt hanc ſolam cauſã repudij voluiſſe legem illi prohibuiſſe, & aliarũ cauſarum copiam feciſſe, cum in vnam hanc ipſe ſolùm deliquerat.

Tertiò, quoad longiſſimè poteſt mens mea reſpicere, & indè vſq; repetere, non reperio privilegium huius diſpenſationis aliquibus intercluſum, niſi tantùm illis, qui vel nondum initis nuptijs vxores vitiaverãt, vel poſt matrimonium obſignatum, vxoribus turpiſſimi nominis quaſi lepram & corruptelam intulerant: vnde colligitur ſtuprum, & nomen peſſimũ fuiſſe ſolas cauſas divortij: quę cum vxoribus eſſent illata per ipſorum maritos, in hoc amittebant privilegium repudiandi eas. Quod fieri non potuit, ſi alias
49 ob cauſas dimittere poterant, quarum mariti non e-

rant

rant conscij, *Deut.* 22. 19. & 29.

Quartò, dicitur Deut. 22. *Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit, quæsierit q; occasiones quibus dimittat eam, obijciens ei nomen pessimum, vt dicat patri, Non inveni filiam tuam virginem, &c. Tollet eã pater, &c.* Vbi primùm obseruemus non id sufficere ad efficiendum divortium, quod vxores odio prosequimur & insectamur, nisi secundò quæramus occasiones, & iustam aliquã excogitemus rationem: deinde tertiò, causa vel ratio illa sit *nomen pessimum*, nempe quod adultera fuerit, quo nihil turpius, nihil fœdius de fœmina fingi vel excogitari potest.

Quintò, asserit *Augustinus* quòd Judæi hoc divortium expetebant ad imitationem gentilium, *exemplo*, inquit, *gentium ad hoc invitati sunt Iudæi*, verisimile igitur *videtur*, quod quamvis Deus illis aliquid indulgentiùs concederet, non tamen tantum largiretur quantum gentes vendicabant: quemadmodum ergo cum ad exemplum gentiũ sacrificare Molocho 50
voluerunt, id est Saturno, permisit eis sacrificia Deus, sed non permisit tamen immolare Molocho &c. Eâdem prorsus ratione cum divortium petierunt more gentium credibile est Deum non tantum licentiæ illis concessisse, quantum gentes vsurpabant, sed cum inter eos vulgare & vsitatum esset, *Omnibus in causis ad divortium confugere sine reatu aliquo vltionis humanæ, vnde & illa cui voluerit nubit, & ille quam voluerit ducit*, vt testatur *Augustinus*, verisimile est Aug. de bo. con. ca. 7. & 8.
Deum apud populum suum ad solum adulteriũ divortium lege restrinxisse, eo quod illud malum, cum bono matrimonij quam maximè pugnaret.

Sextò, per tolerationem polygamiæ, viri quot voluerunt

fuerunt ducebant, nullas autem dimittebant; nunc autem si et per hanc dispẽsationem divortij, possent etiam quot vellent dimittere, ob hoc solum quia eas odio haberent, aut quia non invenirent gratiam in
51 oculis eorum, quantam vitę perturbationem & confusionem apud talem populũ iudicabimus, tam duro & lapideo corde prædituṁ, tanto zelotypiæ quasi œstro percitum, & tam ad omnem licentiam & libidinem luxuriãtem & lascivientem? & sanè vix mihi persuaderi poterit, quòd homines vt vt optimæ facultatis & conditionis, voluerant vnquã tot vxores, & tã numerosas, in ipsorũ detrimentũ & incõmodũ aluisse, quando poterant propter aliquã levioris notæ offensionẽ eas dimittere, et perpetuã seriem, & quasi ansam commutationis arripere: quapropter vt hæc confusio evitaretur, credibile est Deum adulterio solo divortium concluſisse, & eos quasi limites, vltra quos egredi non potuerat, repudio designasse.

Reliquum est vt illa argumenta diluam, quæ adversus hanc opinionem insurgunt: quod quidem onus ex eo magnopere sublevatur, quod robur eorum, & firmitas ijs scripturarũ locis nititur præcipué, aut eorũ
52 ex consequentijs deducitur, quæ favent nostræ opinioni: si igitur eo modo quo exposuimus intelligantur, ex ijs promptas & expeditas responsiones nanciscamur.

Si enim opponant legem, Deut. 24. *Si acceperit vir vxorem, & non invenerit gratiam in oculis eius, scribet libellum repudij*, is locus intelligatur secundùm literam textus in causa turpitudinis, vel fœditatis, vel nuditatis; quæ omnia adulteriũ & impudicitiam significant.

in S

Sin autem illud vrgent 2. Malachiæ, *Cum odio habueris, dimitte eam*; illud est aut responsum Judaicũ, vt arbitratur Hieronymus, quod Deus ibidem grauiter & apertè reprehendit; aut est persuasio diuina, ne Judæi vxores perpetuò vexarent & cruciarent, sed potiùs scriberent libellum repudij: tum autem illud diuortium est faciendum propter id quod expressit Moses Deut. 24. hoc est propter adulterium solum.

Si verò in apertum afferant illud Matt. 5. 19. *Ego dico vobis, quicunq; dimiserit vxorem excepta causa fornicationis, facit eam mœchari &c.* In promptu est quod respondeã, nempe Seruatorẽ nostrũ ijs in locis nõ esse legislatorem, aut antiquatorẽ legis Mosaicę, sed potiùs ipsius interpretẽ aut instauratorẽ, eò quod hæc ipsissima verba sub forma Mosaicæ legis pronũciat. 53

Obiectio tamen illa quæ summas vires includit, hæc est, *Deus lege decreuit adulterium morte esse puniendum, pœna igitur diuortij non erat propter adulterium, sed alias ob causas, & vt voluerunt Pharisæi, διὰ πᾶσαν αἰτίαν: si enim morte tollerentur adulteri, diuortium cum adulterio nullam habere potuit societatem aut commercium.*

Verùm respondeo, has leges posse simul consistere; Videmus enim 20. Levit. immunditiam quandam nominati, cuius qui erant rei, morte erant multandi: *Interficientur ambo de medio populi sui*; de eodem tamen peccato & immũditiâ 15. capite tamùm dicitur, *Immundus erit septem diebus.* 54

Ratio autem cur illæ leges inter se dissidebant, hęc fuit: nimirum quod is qui immunditiem illam contraxerat, aut accusabatur ab alio quod commisisset,

aut non accusabatur: si accusaretur, debuit occidi tã vir, quam fœmina per legẽ, *Lev.* 20 si non accusaretur ab aliquo, non dabatur internecioni, sed per septẽ dies remansit immundus.

Sed vt pressiùs agam, quamvis idem peccatũ diversis habitis rationibus diversimodè puniatur, id quod os obstruat illi obiectioni, superiori præsertim adducto exemplo; vobis tamen ante oculos insuper ponam egregium quoddam & insigne discrimen, inter adulterium quod morte erat mulctandum, & id quod divortio castigandum; sicq; planè & apertè cõvincam, non potuisse omnem hominem, qui vxorem
55 in adulterio deprehenderat, pœnam mortis vrgere, sed potuisse tantùm libello repudij castigare.

Quod vt meliùs intelligatur, cognoscatis velim tres esse in scripturis diversas ac inter se repugnantes leges circa adulteriũ, quia tres casus, sive gradus adulterij sæpiùs occurrunt.

Prima lex est, cum pervasit & increbuit gravis aliqua & vehemens suspicio, vir tamen nihil firmiter probare potest, sed fertur impetu quodam & œstu zelotypiæ, propter levitatẽ quandam & immodestiã vxoris: in hoc casu concedebatur ei lex purgationis, de qua Numerorũ quinto: nuncupatur autem zelotypiæ lex: *Vir cuius vxor erraverit, &c. & hoc maritus deprehendere nõ quiverit, sed latet adulteriũ, & testibus redargui non potest, quia non est inventa in stupro, si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsâ suspicione petita, adducet eam ad sacerdotem: &c.*

56 *Alia* vero est lex, cum vir deprehenderit vxorem in culpa, & adulterium non latet eũ, tamen testibus illud

illud confirmare non poteſt; in hoc caſu concedebatur divortiũ per libellum repudij, vt Deut. 24.

Tertia lex eſt, cum vir deprehenderit vxorem in ſtupro, & poteſt id coràm manifeſtè comprobare; in hoc caſu concedebatur mors & lapidatio.

Hos autem diſſitos & diſcrepantes adulterij caſus Hebræi ponunt; vndè liquidò conſtat legem illã, quæ adulterio mortem decernit, nullâ ratione huic noſtræ opinioni, quæ divortium adulterio ſolo ſtatuit, contradicere, aut obviare.

Præterea, nõ poterat maritus tutò inſimulare vxorem adulterij ad mortẽ, quamvis oculatus fuerat teſtis illius ſtupri, niſi etiam poterat in lucem & medium afferre teſtes certos & fideles; quippe quòd niſi eſſent probationes multùm lucidæ, non condemnaretur vxor, & tamen vir deficiens in probatione, criminis & maleficij condemnaretur; quia *in criminalibus qui accuſat, debet ſe inſcribere*: & non ſolùm ſecundum leges humanas, ſed divinã etiam, criminalitèr accuſans, ſi in probatione deliquerit, cõdemnatur: vt patet *Deut.* 22. quare cum viri non poterant ſatis firmiter & apertè teſtibus vxoris ſtuprum affirmare, aliquando impellebant vxores ſubire aleam & limam purgationis; aliquando autem dimittebant per libellum repudij. 57

Porrò hoc etiam ſuas habet vires in iure civili, vbi pro arbitrio ſuo (quantũ ego aſſequor) liceat homini agere aliqua in culpa vel criminalitér, vel civilitér, ſalem cum vxor fornicatur, vir poteſt eã accuſare de adulterio, non criminalitèr ad mortem, ſed civilitèr ad thori & cohabitationis ſeparationem, *& lucrabitur dotem*, vt eſt etiam extra: de dot: poſt reſt:

Ianſenius verò in ſua harmonia huic opinioni ap-
58 primè favet, quòd ſcilicet licebat Judæis propter adulterium vxoribus libellum repudij dare, & non eas legi tradere trucidandas: nam ſuper hæc verba Mat. *Ioſeph vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*, ſic ait cap. 7. Tanta videtur fuiſſe iuſtitia *Ioſephi*, id eſt virtus, vt duo vellet, nempe & conſulere ſibi, ne cohabitando cum adulterâ, videretur favere criminj; & conſulere conjugi, ne vituperaret eam, & pænæ legis obnoxiam faceret: atq; ideo mediũ elegit, vt ſcilicet occultè dimitteret, qui modus dimittẽdi occultè, fuit per libellum repudij, non per exilium, vt opinatur *Toſtatus*. Neq; enim inquit *Ianſenius* neceſſe erat ei publicè dare eum, neq; cauſas repudij in eo recitare.

Quibus omnibus præfatis, ſic argumento reſpondemus, quòd quamvis vxor deprehenſa in adulterio, & teſtibus palàm euicta, deberet lege Moſaicâ trucidari, tamẽ ſi maritus, qui vel rectè conijcit, vel certò novit id ſtuprum eſſe perpetratum, contenderet id
59 teſtibus declarare, & minus valeret, aut valeret plenè, & tamen nollet: ſibi quam optimè proſpiceret, & conſuleret ſaluti ſuę, ſi daret ei libellum repudij, & dimitteret, & ſic ſuperinduceret aliam, nullo modo vel inculcando, vel premendo illam legẽ, quâ vxor morti adiudicabatur.

Hactenus quantâ fieri potuit cũ brevitate & perſpicuitate confirmaui divortium Judæis tantùm licere, & id extorquente adulterio permiſſum eſſe. Cũ autem in confeſſo ſit, ad Judęos propter cordis duritiem ſpectaſſe ſolummodò, & etiam per adventum Chriſti funditùs extirpatum eſſe, neceſſe eſt vt matri-

trimonium priſtinas vires colligat, & æquè ſolidâ ac ſincerâ virtute apud nos vigeat, ac apud parentes primos ſuâ in inſtitutione floruit: ſic autem efficitur, vt non vinciat tantùm nodo firmo & *Gordiano*, ſed etiã vt individuâ vitæ ſocietate coniungat, adeo vt quamvis propter adulterium poſſimus vxores dimittere, nequaquam tamen valeamus adſecũdas nuptias, tãquam ad novas voluptates & delicias tranſire. 60

Quanta autem incommoda, & quas tragędias ſecundę ex divortio nuptię in Reſpub: invehant et importent, quid opus eſt vt ipſe vrgeam, cum eas omninò illicitas eſſe, argumentis (vti mihi videtur) firmiſſimis priùs demonſtraverim? Veruntamen quanta incommoda ſecundas nuptias ſequantur & quaſi ancillentur, ex *Auguſtino* de *adulterinis coniugijs* diſcamus: et etiam ex ipſis eorum iudicijs, qui eas licere quidem, minimè tamen expedire cenſuerunt: cum tamen ſi probarem (id quod levi et nullo negotio præſtare poſſem) eas nunquã expedire Chriſtianæ Reipub. et nulli expedire Chriſtiano homini, inde ſanè efficerem, eas nec licere verbo divino, nec approbari.

Iam verò ſi hoc parum, quod parùm ornatè et minùs forſan explicatè dixerim, verum et verbo divino conſonum videbitur, certè quidem Eccleſiam difficillimâ et ſubarduâ quæſtione, Rempub. autem maximis malis liberabit: ſin vero exile quiddam & ieiunum apud doctos habebitur, nihil tamen vim aut virtutem quæſtionis infirmabit, eò quòd vnicum ſolummodò, et fortaſſe inuſitatum argumentum authoritati antiquorũ, et Eccleſiæ iudicio addiderim. Quicquid verò vel in hac cauſa, vel in rę alia quacunq; aliquando 61

quando dixero, si in eo parum soliditatis, aut aliquid offensionis subesse videbitur, humiliter me judicio huius Christianissimæ Anglicanæ Ecclesiæ subijcio: et si extiterit aliquis, qui vel privatim, vel publicè detexerit et deterserit errorem meum, cum quasi lumẽ prætulerit menti meæ, alacritér quidem et expeditè errori meo valedicam, nec ad eum tanquam ad columnam diutiùs adhærescam.

FINIS.

IN CONTRO-VERSIAM INTER IO-HANNEM HOWSONVM & *Thomam Pyum* S. T. Doctores de *novis post divortium ob adulterium nuptijs.*

TRACTATVS MODESTVS ET Christianus in sex commentationes, & *Elenchum monitorium distinctus.*

VBI ET AD EXCVSAM D. PYI AD D. Howsonum Epistolam, quâ libri Howsoniani refutationem molitur, & ad eiusdem alteram manuscriptam Epistolam eiusdem argumenti, quâ contra Albericum Gentilem iurisprudentia apud Oxonienses professorem regium disputat, diligenter respondetur.

OXONIÆ,
Excudebat Iosephus Barnesius.
An. Dom. 1606.

Actoris protestatio de calumniâ.

QVod ex iure Iustiniano satis erat ei qui Actori responderet iurare, *quod putans se bonâ instantiâ vti ad reluctandum pervenerit*, mihi, etsi non actoris sed respondentis partes sustinenti, non puto satis, quin & addendum Actoris iuramentum, *non calumniandi animo litem intendere, sed existimando bonam causam habere*: ad hæc dissimulatutum nihil, quod contra causam quam tueor facere intelligam: nec adversario per malitiâ, imò ne per negligentiam quidem imputaturum quicquam quod nō ex animo putem ipsius esse: *Ita mihi sit propitia sacrosancta veritas.* Et hoc sacramentum calumniæ, initio semel præstitum, vt lege antiquâ cavetur, præsumatur ad singulos articulos repetitum.

Jn recitandis tam ijs quæ apud *D. Howſonum*; quã ijs quæ apud *D. Pyum* habentur, ſæpè verbis relictis, ſolâ ſententiâ brevitatis cauſa contenti ſumus. Moleſtum enim & prolixum ſæpe fuiſſet ad verbum omnia reddere, & deinde alijs verbis, dum certioris examinis gratiâ quicq; analyticè ad propoſitum accõmodaretur, eadem repetere.

Hebræam literam ע per N tranſcribimus, quia a *D. Pyo* in re tam levi diſſentire non vacat, vtcunq, alius vix credo quiſquam hoc faciat; Et D. *Howſonus* vt faciunt pleriq; per H expreſſerit: tantùm diſcriminis ergô ſuperſtratâ lineolâ notare viſum eſt N

Jn tranſcribendis vocalibus Hebræis quantitatẽ plerunq; notamus hoc pacto, *dâvâr*: *dẽvẽr*: literam בּ cum molliùs pronuncianda eſt per *V* conſonantem reddidimus: quod ſi cui diſplicet mutet vt libuerit.

Jn paginis libri *Pyani* notandis ſecuti ſumus Londinenſem editionem *Anni* 1603. in paginis autẽ *Howſonianis* Oxonienſem *Anni* 1602. ſi aliæ editiones prodierint, optandum vt numerus paginarum in iſtis editionibus expreſſus, in illis ad marginem notetur.

Quia placuit *D. Pyo*, cum priùs de hoc argumento Anglicé ſcriberet noſtram defenſionem palàm accuſare Papiſmi, quod & facere videtur ſed tectiùs in editione Latinâ, ſcias amice lector nos iſta omnia iudicio Eccleſiæ Anglicanę ſubijcere, eiuſdẽq; Eccleſiæ doctrinã, quæ cũ Papiſmo in rebus graviſſimis pugnat ex diametro, ſubſcriptione & profeſſione noſtrâ ex animo approbaſſe, ſemperq; approbaturos eſſe.

Erratum vnum gravissimum, p. 187. lin. 17. vbi lege *pudicitiam calumnia violaret*: & redi ad paginam, 168 & clara erunt omnia. Alia quoq; graviora errata sic corrige p. 5. l. 31. lege *vnde & suas quas dicemus rationes*, p. 8. l. 30. lege *ne separetur, id est, ne separetur nisi ob fornicationem*. p. 34. l. 32. lege *scriptura*. p. 41. l. 32. lege *annotationes*. p. 50. l. 5. lege *ius sit*. p. 51. l. 32. lege *nec omnino*. p. 69. l. 15 lege *ob scortationem dicita, cum non licet*. p. 70. l. 33. lege *diversissimas*. p. 98. l. 34. lege *at nonne potius*, p. 118. l. 31 lege *contineri*, p. 125. l. 3. lege *reprehendenda*. p. 126. l. 31. lege *vt alia quæ comment. &c*. p. 130. l. 1. lege *dotalitium*, p. 134 l. 16 lege *Elencticas*, p. 135. l. 35. lege *imprudenter*. p. 148. l. 29. pro è quo magis lege *quo magis*. p. 176. l. 6. lege *sed & patria onera*. p. 179. l. 19. lege *parag*. 1. p. 186 dele totam clausulam, quæ incipit ab his verbis in medio lineæ nonæ *simile est quod vt docui, &c* hæc enim semilinea, & duæ sequentes cum initio lineæ duodecimæ, lineas præcedentes, nescio qua typographi culpa ineptè geminant. p. 169. lin. 5 pro næ lege ne. p. 192. lin. 11. lege *geminum*. p. 205. lin. 6. & 7. lege ἐξαμαξόμενος. Sed ista quemadmodum & illud, p. 81. l. 4. ἔχειν pro οἶχεν & p. 78. l. 17. abnoctaret, l. 33. propiùs & alia huiusmodi ipse animadverteris.

AD REVERENDISSIMVM IN Christo patrem Dominum RICHARDVM BANCROFTVM *Archiepiscopum Cantuariensem.*

Liber pro seipso loquitur.

REverende nostræ Pontifex Ecclesiæ,
Sacrisq; custos Anglicanis optime,
(Nam te quis hisce rebus aptior arbiter,
Judexue potior?) orphanus, supplex liber
Te primùm adibo: seu lituris pluribus
Notare libeat, siue malis vnicâ
Delere totum, statur, & caditur tibi.
Nec vapulare qualibet dignor manu.
Decet severum iudicem peritia:
Artisq; libra, non nisi artifices amat.
Nec tamen hiatu glorioſus improbo,
Spem perdo veniæ: lector ipse iudicet,
Cognoscat, aut ignoscat: alterum dato
Quicunq; fuerit. Tu sacrate Pontifex
Vtrumq; (si petimus pudentèr) annue.
Quicquid ero, cense: si probabor, protege,
Auctore deserente. Nam parcus sui,
Doctumq; paritèr iudicem, & stultum timens,
Latere mavult. Sylva donec prægravans
Nocere cesset desupèr. Nondum sibi

Prodire tempus, vix mihi tempus putat.
Quin forte peius ob patrem mihi sit meum.
Nam segnis aliquis odit omnem industriam:
Dum incogitans hic interim, otiosulus
Sua sola nouit, & suum fundum colit.
Sed ista viderit ipse: me pullum velut
Secura nido mater angusto ejcit,
Cum prima tremulas pluma texit pennulas,
Iussit vagari: nec fidem infidum Æoli,
Dolosue curat aucupum: aut me cogitat.
Mandata tantùm pauca dimittens dedit.
Renuntiarem fidus interpres sibi,
Siue æqua vulgò, siue iniqua mens foret.
Tùm, ne fouerem ſpem placendi singulis,
Præoccupatas plurium sententias,
Vt saxa duris surda dixit nauitis.
Sed aram ad Archiepiscopalem accederem:
Illinc abunde, quod ipse ferre non valet,
Opis habiturus. Quod Te digne Pontifex
(Si vera doceo, dogma si pium fero)
Parentis orbus obsecro, supplex liber.
Verum, piumq; (operum hoc tuorum est) protege.
Sic sancta consilia, ausa sic tua optima,
Deiq;, principisq;, & optimatium
Secundet, omniumq; suscipiat fauor.

Commentatio prima. Parag. 5.

De testimonio Augustini.

1 Ostenditur quomodo ad principium huius cōtroversię pertineat quærere de testimonio Augustini, etsi *Pyus* hoc ad calcem reiecerit.

2 Proponuntur duæ obiectiones contra Augustini in hac controversia auctoritatem, ex duobus locis Augustini petitæ, & ad priorem locum respondetur.

3 Respondetur ad ea quæ pro priore obiectione ex posteriore loco Augustini, & ex Retractationum l. 2. ca. 57 petuntur.

4 Respondetur ad ea, quæ pro posteriore obiectione ex posteriore loco Augustini, & ex. 1. l. de adult. coniug ca. 11. petuntur.

5 Respondetur ad ea qnæ pro posteriore obiectione 1. *Cor.* 7. 11. petuntur, vt doceatur nodum qui Augustinum tenuit esse expeditu facillimum.

Commentatio secunda. Parag. 3.

De sententia minoris propositionis Howsoniana

1 Ostenditur illud quod in minore *Howsoniana* dicitur de divortijs secundum Mosem ex sola causa adulterij licitis, ipsissimam esse *Pyanam* sententiam.

2 Refellitur *Pyana* interpretatio minoris *Howsoniana*, & docetur in ea non omninò quæri de vsitato, sed de iure.

3 In minore *Howsoniana* non quæritur quid toleratum, sed quid concessum, id est, licitum fuerit.

De quæstione vtrum Mosaica permissio diversi toleratio an concessio fuerit.

1 Ostenditur quomodo ex huius quæstionis decisione non modo præcipua obiectio contra maiorem *Howsonianam* solvatur, sed alia quoq; maximi momenti constituantur.

2 Ostenduntur insignes *Pyanæ* negligentiæ circa hanc quæstionem.

3 Solvuntur leviores quædã obiectiones ex *Deut.* 24.4.

4 Proponitur obiectio præcipua, ex eo quod dicitur *Deut.* 24.4. postquam factum vt pollueretur: & contra *Pyanam* interpretationem horum verborum complures rationes afferuntur.

5 Solvuntur rationes pro interpretatione *Pyanâ*, & exponũtur tres aliæ interpretationes meliores.

6 Proponitur obiectio ex hypothetica lectione posterioris partis versus primi *Deut.* 24. & *Pyana* & & aliæ pro ea lectione rationes solvuntur.

7 Solvuntur aliæ obiectiones complures.

8 Explicatur prima ratio pro nostra sententia ex eo quod non hypotheticè sed absolutè legenda sit posterior pars primi versus *Deut.* 24.

9 Explicantur aliæ rationes complures pro eadẽ sententiâ.

Commentatio quarta. Parag. 4.

De cæteris obiectionibus Pyanis contra maiorem Howsonianam

1 Sol-

1 Solvuntur duæ obiectiones circa genera rerum quæ adventu Christi abolitæ sunt.

2 Soluuntur duæ aliæ obiectiones, vbi & loci quidam *Howsoniani* reconciliantur.

3 Ostenditur Pyum in maiore *Howsoniana* ea modo carpere sine quibus salva conclusio esse possit, ipsamq; maiorem alibi integram admittere.

4 Translatio ad disputationem de minore syllogismi *Howsoniani*.

Commentatio quinta. Parag. 14.

De obiectionibus contra minorem propositionem syllogismi Howsoniani.

1 Solvitur obiectio prima ex auctoritate Ecclesiasticâ.

2 Solvuntur duæ aliæ obiectiones, altera ex vsu, altera ex vi vocis Hebraicæ nervah.

3 Solvitur obiectio quarta ex vi vocis *dâvâr*, & ex loco *Deut.* 23. v. 14.

4 Solvitur obiectio ex verbis versus tertij *Deut.* 24. *Si maritus posterior oderit eam.*

5 Solvuntur obiectiones quatuor ex versu 4. *Deut* 24 petitæ, vbi videtur Moses vocare novum coniugium repudiatæ, pollutionem & adulterium.

6 Solvuntur obiectiones petitæ ex *Ierem.* 3. *Lev.* 22. *Deut.* 18.

7 Solvitur obiectio 13ma. de duritie cordiū (ex *Mat* 19. 8. & alijs quæ eum in finem afferuntur, ac si thesis *Howsoniana* adulterijs faveret.

8 Sol.

8 Solvuntur aliæ obiectiones tres ex eodem loco *Matt.* 19. petitæ.

9 Examinatur prima propositio postremæ obiectionis Pyanæ, quâ asseritur omnes causas adulterij aut ad legem *Deut.* 22. de adulteris morte puniendis, aut ad legem zelotypiæ. *Num.* 5. pertinere.

10 Contra secundam eiusdem obiectionis propositionem, (quâ asseritur, Quotiescunq; ex prædictis legibus agi potuit, nihil opus fuisse ad alias leges cõfugere) primæ exceptionis *Howsonianæ* pars prior, ex scripturis & clarissimorum iurisconsl. iudicio defenditur.

11 Pyana responsio ad priorem illam partem prædictæ exceptionis refellitur, vbi docetur ex iure civili maritum si vxorem adulterij temerè accuset calumniæ periculo obnoxium esse.

12 Defenditur secunda pars exceptionis primæ, & ostenditur non semper cum adultera testibus convinci non potest, æquius esse agere ex lege zelotypiæ, quam ex lege divortij.

13 Explicatur secunda exceptio contra secundã prædictæ obiectionis propositionem, & docetur nõ semper cum licet, necesse esse agere criminalitèr.

14 Solvuntnr aliæ quædam obiectiones a Pyo prætermissæ.

Commentatio sexta. Parag. 4.

De argumentis Howsonianis pro minore propositione primarij sui syllogismi.

1 Primi argumenti quod ex *Deut.* 24. v. 1. desumitur sex confirmationes defenduntur contra exceptiones

ones Pyanas.

2 Secundi argumenti quod ex *Matt.* 5.32. desumitur, duæ confirmationes defenduntur.

3 Explicatur & defenditur argumentũ 3. ex *Mat.* 19.9.

4 Defenditur argumentum 4. ex variarum probabilitatum coacervatione conflatum.

ELENCHVS MONITORIUS *de ijs quæ extra causæ necessitatem a Pyo peccata sunt.*

1 Contradictoriæ longé plurimæ sententiæ Pyanæ enumerantur.

2 Peccata contra sensum communem permulta recensentur.

3 Recensentur eiusdem audacia & periculosa dogmata permulta.

4 Recensentur falsæ apud eundem imputationes quamplurimę.

5 Recensentur eiusdem ineptiæ, in confidentiâ, in otiosis sententijs, in verbositate, & in dispositione operis. Simulq; dum de otiosis censuris grammaticis agitur, ostenditur quomodò ipse rei grammaticæ parum peritus sit.

IN CONTROVERSIAM INTER I. HOWSONVM ET T. PYVM S. T. Doctores, de novis post divortium ob adulterium nuptijs.

Commentatio prima de testimonio August. Parag. 1.

Parag. 1. Offenditur: quomodo ad principiũ huius controversiæ pertineat quærere de testimonio Aug^i. etsi Pyus hoc ad calcem reiecerit.

LIbelli quem contra novas post divortium ob adulterium nuptias edidit D. *Howsonus*, Oxoniæ excusum anno 1602, cujus libelli refutationem altero libello, seu vt vocat, epistola, Londini anno 1603, excusa suscepit D. *Pyus*, capita, vt legenti facile erit animadvertere, sex sunt. Primum caput, novem primis paginis cõprehensum, aditum facit ad disputationẽ de sententia permissionis Mosaicæ, *Deut. 24. v. 1.* vbi post occursum durioribus contra-sentientium judicijs, id vnum agitur, vt appareat, vna constituta propositione, (*Divortiũ illud quod cum novis nuptijs Moses ob duritiem cordium Iudæis concessit, fuisse in sola causâ adulterij*) necessario sequi vt jam post adventum Christi illicitæ sint etiam ex causâ adulterij novæ ex divortio nuptiæ. Proxima quatuor capita, quatuor tractant argumenta, quibus probatur cõcessionem Mosaicam de sola causa adulterij intelligendam. Postremũ caput contrarias quasdam rationes amolitur. In primo capite pauca tangit D. *Pyus* in ea quam suscepit refutatione: vix enim quicquam in eo ex professo cõtra disputat: nisi quod syllog^i. primarij, quo hoc caput cõcluditur, majorem propositionẽ quasi aliud agens, & aliò properans perstringit. Sed ad majoris istius confirmationem priusquam accedimus, alia quædam ad hoc caput pertinentia, de quibus nõ leviter à *Pyo* nostro dissentimus, considerandа sunt. Vnũ est de re-

stimonio Augusti, alterũ de sentẽtia minoris propositionis, quæ in primario illo quem dixi syllog. *Howsoniano* habetur.

De Augusti. quidem testimonio: quia peropus est vt tãti viri auctoritate muniti ad causam accedamus: de sententia autem minoris illius quã dixi: quia eâdem operâ de majoris quoq; sententia, cũ idẽ sit in vtraq; medius terminus, statuetur. Augusti. testimonium hac vna occasione vnà cũ Servatoris testimonio *Mar.* 10. 11. *Luc.* 16. 18. & cum Pauli testimonio, 1. *Cor.* 7. 39. & *Rom* 7. 1. profertur hoc capite, vt doceatur majorem primarij illius syllog veram esse, *sublatã* scilicet *iam olim esse permissionem Mosaicam*. Etsi enim etiam pro conclusione illius syllog. (id est contra novas ex divortio ob adulterium nuptias) eadem testimonia faciant, hoc tamen loco ab *Howsono* illum quem dixi in finem proferuntur: quem certè assequuntur extra omnem exceptionem necessariò: ideoq; omninò falsum est quod ait *Pyus*, p. 3. lin. 10. hanc propositionem ab *Howsono derelictui habitam*. Animadvertat seriem loci totius, & mutabit fortè sententiam, Primùm, p. 3. & 4. antiqua notatur contra vinculi conjugalis indissolubilitatem objectio, quod Moses Iudæis contrà permiserit. Quid ergo esset proximum, nisi vt huic obiectioni responderet, *antiquatam iam olim istam permissionem esse?* id quod certè, p. 5. & 6. respondetur, & testimonio Servatoris, Pauli, Augusti, novas post divortium nuptias simplicitèr improbantium (vnde necesse est vt saltem divortium Mosaicum improbaverint) idem confirmatur. Hac occasione, Augusti. hoc loco facta mentio. Quę adduntur, p. 7. 8. 9. ad minorem pertinent: vt ad maiorem illam propositionẽ quæ jam satis constare videbatur, *antiquatam esse permissionẽ Mosaicam*, minor propositio assumatur, *eam permissionem fuisse in sola causa adulterij*, & ita proposita thesis constituatur, *Antiquatam* scilicet *esse permissionam novarum post divortium nuptiarum, etiam in causa adulterij*.

Par. 2. Proponũtur duę obiect. ex duobus locis Aug. & priori loco respondetur.

De testimonio Christi prorsus nihil: de Pauli quoq; testimonio nihil directè *Pyus* noster, nisi quod ad auctoritatem Augusti, obitèr adijcit: sed ad Augusti, testimonium ele-

van

vandum, quod (vt apud ipsum duobus libris ad Pollentiũ, de Adulterinis conjugijs tusè explicatur) nõ modò majorẽ, sed & conclusionem hujus syllog. complectitur: duo a *Pyo*, p. 43. loco satis alieno, inter ea quæ nihil ad hanc rem faciunt, interciuntur. Vnum est quòd Augustinus in hac quæstione (vt ait) *dubitet, hæsitet, & revocet se interdum.* Alterum est quòd vnicus, vt putat nodus, & is expeditu facillimus fuerit, loco. 1. ad *Cor.* c. 7. v. 11. qui Augustinum impediit, ne novas post divortium ob adulterium nuptias probaret. Ad hæc duo confirmanda duo profert loca Augustini. alterum ex lib. de fide & operibus c. 19 *Quisquis vxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus ijs, qui excepta causa adulterij dimittunt, & ducunt. Et in ipsis diuinis sententijs ita obscurum est, vtrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alterã duxerit, vt, quãtũ existimo, venialiter ibi quisq; fallatur.* Ex hoc loco cum concludit *Pyus* Augustinum nõ modò dubitasse, sed & revocasse sententiam, attendisset & ad id, quod ibidem subijcitur verbis proximis, *eos qui dimissã adulterã alteram ducunt, in permagnum discrimen capita sua mittere.* Quo certè modo de ijs nunquàm fuisset locutus, si eos tantum venialiter falsos & deceptos putasset. De eo ergo qui hominem novis post divortium ob adulterium nuptijs nondum renuntiantem, ad baptismum admitteret, loquitur Augustinus. & ministrum quidem baptismi, si talem hominem ad sacrum lavacrum admiserit, venialiter falli putat; quia res in divinis sententijs ita obscura est: Ipsum autem baptizandũ, in eo quod dimissa adultera alterã duxerit, venialiter falsum fuisse nusquam dicit. Postulant ita accipi hunc locum ipsæ circumstantiæ, vbi tractatur quæstio, An huiusmodi maritus sit ad baptismum admittendus. Postulat & argumentum libri, vt qui contra quosdam scriptus, qui professo erant fidei Christianæ, etsi adhuc in peccatis nefarijs & manifestis hærerent, nihilominus ad baptismum admittendos contenderunt.

Alter locus ex lib. de Bono coniugali c. 7. vbi profitetur *Parag.* 3. Respondetur ad

ea quæ pro priore obiectione ex poſteriore loco Aug^i. & ex 2. Retract. c. 57. petuntur.

tur Auguſtinus ſe *mirari ſi quem admodum licet dimittere vxorem, ita licet eâ dimiſſâ alteram ducere.* Vbi etiam vnum tantum ſcripturæ nodum indicat. 1. Cor. 7. 11. quo impediretur ne hoc licere exiſtimet. Ad hunc locum quatenus ad priorẽ obiectionem *Pyanam* ſpectat, reſpondeo, vt illud detur, *Auguſtinum dum ita ſcriberet, de hac quæſtione nonnihil dubitaſſe* (mirari enim nõ eſt ſcientiæ, ſed ad ſcientiam) nihil tamen hinc incõmodi. Quid enim ſi obiter hanc quęſtionẽ reſpiciens, & aliud ex profeſſo agens, dubitantiùs pronuntiat, ideóne etiam in ijs quę poſtea ſcripſit vbi hanc rem tractat ex profeſſo, vbi diſertè, et conſtantèr et ſępiùs ait, *huiuſmodi coniugia adulterina eſſe*, de ſolita auctoritate amittet? aut in ijs quoq; locis dubitare et hæſitare dicetur? Quanquam de maſculo tantũ coniuge miratur eo loci Auguſtinus vtrum ne ipſi quidem liceat alteram, priore ob adulterium dimiſſâ ducere: nam de fæmina ſine omni dubitatione ibidem pronunciat, in ea huiuſmodi nuptias adulterinas eſſe: Vnde etiã de marito, quod initio (more modeſtorum) dubitantèr propoſuerat, ſatis diſertè cõcludit, *Quomodo* inquit *viro poſſit eſſe licentia dimittendæ alterius ſi adulteram reliquerit, cum mulieri non ſit nubendi alteri ſi adulterũ reliquerit non video?* Quid eſt iſtud *Non video?* Certè vt apud Græcorum ſapientiſſimos illa ἴσως, πάνυ, δοκεῖ, (vnde et δόγματα dicta et Latina vox docẽdi) pro dogmaticis affirmatiuis particulis vſurpantur, ita iſtud, *Non video*, pro non minus diſerta et dogmatica negatione ſumendum. Manifeſta certè res eſt, Auguſtinũ hoc loco contra ſententiã Ambroſij, quẽ plurimi faciebat diſputare: (Ambroſius enim in hũc locum 1. *Cor.* 7. ſoli fæminæ novum poſt diuortium ob adulterium coniugium illicitum putat,) et hæc ſanè cauſa, non aliqua ſententiæ hæſitantia, cur modeſtiùs loqueretur.

Nihil ergo protulit *Pyus* noſter, vnde Auguſtin. hęſitaſſe, multo vero minus ſentẽtiam revocaſſe dicamus. Nã quod ex Retract. lib 2. c. 57. ab aliis affertur, Auguſtin. ibi confiteri de libris ſuis, quos ſcripſit de *adulterinis coniugiis, ne ſcire ſe vtrum difficillimam iſtam quæſtionem enodatiſſimè ſoluerit, imò ve-*

ro.

re sentire se ad huius rei perfectionem non peruenisse, nō est dubitatio de ipsa thesi illorum librorum, vtrum rectè statuerit ista coniugia adulterina esse, sed de enodatione alicuius difficilis obiectionis, illius puto, quæ ex *Matt.* 19. v. 9. petitur: quam quidem obiectionē confitemur ab Augustino nō enodatissimè aut perfectè solutam. dum causam scortationis ideo exceptam putat, quia tolerabilius in hac causa quam in alijs secundum coniugium, vtcunq; et ipsum quoq; illicitum sit. Hanc interpretationem vt videtur in Retractationibus Augustꝰ non satis probat: sed cū eam reprehendens de ipsa thesi taceat, certè quod ad thesim attinet in sententia permansisse constat. Alioquin enim non dubitasset vtrū enodatissimé, sed vtrum omninò hanc quæstionem solvisset, nec de perfectione tractatus illius, sed de veritate doctrinæ detraxisset. Quod enim putant Augustꝰ. cōfiteri, quēvis qui tractatum eum intelligentèr legeret, de imperfectione eiusdem iudicare posse: verba Augustꝰ. sunt *Imo vero non me peruenisse ad huius rei perfectionem sentio, quamvis multos sinus eius aperuerim, quod iudicare poterit, quisquis intelligenter legit.* Vbi illud *quod iudicare poterit* non videtur dici de perfectionis defectu, sed de sinuum illorum quos dixit evolutione; vt sententia sit, quēvis intelligētē lectotē iudicare posse, multos istius difficilis quęstionis sinus in istis libris ad Pollentiū apertos esse atq; evolutos: quemadmodum et eodē loco ait, se in ijs libris omnia, quantum potuit, secundum scripturas definijsse.

Sed vt ad locum illum Augustꝰ. de bono cōiugali c. 7. redeamus, quem locum profert *Pyus* præcipuè vt doceat vnicum tantū nodum fuisse qui Augustꝰ. impedivit, ne nova post divortium ob adulterium coniugia probaret (vnde & duas quas diximus rationes affert, cur hic nodus expeditu facillimus putaretur: vt ita exiguam et levem causam fuisse doceret, cur Augustinus in sententiā illā veniret, aut in eadē permaneret:) Primū quomodo ex eo loco constat Augustꝰ. vnico hoc nodo impeditum? respondebit quia ibidem hūc vnicum profert. Misera consequentia: aliud enim intuetur

Parag 4. Resp. ad ea quę pro posteriore obiectione ex posteriore loco Aug. & Aug. lib. 1. de adult. coniug. cap. 11 eum in finem petūtur, vt probetur vnicum fuisse nodum qui Augꝰ. impedivit.

Auguſt. non habuit vnicũ tãũ ſententię ſuæ fundamentum.

Auguſtꝰ. eo loco: de hac re ibi obiter agit, vt nihil neceſſe fũerit omnia quæ ei hanc ſententiã perſuaſerãt ibi exponere, quæ tamen alibi vbi ex profeſſo tractat hanc quæſtionẽ fuſius proſequitur. Affine huic argumẽto & illud eſt, quod vt Auguſtinianę auctoritati detrahatur, alij vrgent ex lib. 1. de Adult coniug. c. 11. quaſi ex eo in hanc ſententiam inductus fuiſſet Auguſtꝰ. quia putaſſet ex græco potius legendum *præter cauſam fornicationis, quam niſi ob fornicationem*: vnde cum iſta diſtinctio, & ipſa leviſſima ſit, et ex græco minimè confirmetur, ſequeretur ſententię Auguſtinianę leviſſimũ & planè nullũ fuiſſe fundamentum. Sed c. 9. libri prędicti vbi ex profeſſo locum *Mat.* 19. interpretatur Auguſtꝰ. nulla planè huius diſtinctionis mentio: quemadmodũ nec libro contra Adimantium c. 3. vbi aliam ab ea quam in libro de Adult. coniug. ſequitur, interpretationem profert: tantũ c. 11 libri primi de Adult. coniugijs quaſi aliud agens, nec ex iſta diſtinctione quicquam vrgens, verba *Mat.* ita repetit, *Quicunq;* (inquit) *dimiſerit vxorem niſi ob fornicationem, vel hoc quod magis in græco legitur, præter cauſam fornicationis, et aliã duxerit, mœchatur.* Quæ cauſa moverit Auguſtꝰ. vt dixerit magis in græco legi *Præter cauſam fornicationis*, quam *ob fornicationem*, ſive memoria deceptus, quod in altero loco *Matt.* ita legitur, in vtroq; ita legi putaſſet: ſive illud ἐπὶ πορνείᾳ pro ἐπὶ λόγῳ πορνείας ex altero loco *Mat.* interpretatus fuiſſet (quod certè græcis auribus abſurdum non eſt) quicquid erat, non multum intereſt. Certè enim in iſta diſtinctione, nihil momenti ab Auguſt. poſitum fuiſſe, ex eo quod penè immediatè apud Auguſt. habetur c. 10. nimis manifeſtum eſt, vbi diſertè confitetur, ſive legamus cum alijs exẽplaribus *excepta cauſa fornicationis*: ſive cum alijs *præter cauſam fornicationis*: ſive cum alijs *niſi ob fornicationem*: verba *eundem habere ſenſum, nihil ad vnã eandemq; ſententiã intereſſe.*

Parag. 5. Reſp ad ea quæ pro poſt. obiecti. ex 1. Cor. 7. 11. e um in finem pe tuntur, vt probetur nodum qui Aug. impedivit eſſe ex pedito facillimum.

Sed vt demus *Pyo*, quod tamen dandum minimè eſt, illũ quem dicit vnicum fuiſſe nodum qui Auguſt. impedivit, non tamen ſequitur eum nodum qui Auguſt. impedivit expeditu facillimum eſſe: nec adiuvabit quòd ſine iuſta

pro

probatione addit, Paulũ loco illo 1. ad *Cor.* c. 7. v. 11. loqui de divortijs, quæ ob alias causas quam ob fornicationem fierent. Nam vt hoc verum esset, nisi etiam per se clarũ esset & cuivis obviũ, non tamen sequeretur nodum Augustł. expeditu facillimum esse. Sed *Pyus* ne verum quidem hoc esse probat, imò ne verisimile quidem esse: *verbum* (inquit) χωρισθῆναι *quo hoc loco vtitur Paulus nunquam pro legitimo divortio, sed pro separatione illegitima vsurpatur.* Non vagabimur longiùs, sed eum modò locum *Mat.* 19. 6. quem ad hoc cõfirmandum *Pyus* nota marginali indicat, videbimus. Certè si verbo ἀπολυθῆναι, quo vtitur Servator *Mat.* 19. 9. vsus fuisset Paulus, nihil excepisset *Pyus*, quin etiã legitima divortia comprehenderet: at loco illo *Mat.* 19. v. 6. quid est quæso aliud χωρίζειν, quam ἀπολύειν: nam & opponitur verbo συζευγνύειν. quo nullum profecto magis cõiugale est, & exprimitur tũ à Pharisæis, v. 7. tum à Christo v. 8. per illud ἀπολῦσαι. Vbi & Pharisæi & Christus, vel ipso *Pyo* interprete (qui p. 30. ἀντινομίαν agnoscit) supponunt permissionem Mosaicam περὶ τοῦ ἀπολῦσαι, legi illi ἀπ' ἀρχῆς περὶ τοῦ μὴ χωρίζειν cõtradicere. Mira sanè & nova interpretatio illa *Pyi ánæ*: vt cum dicit Christus ὃ οὖν ὁ θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω, sententia sit, μὴ χωριζέτω μὲν, ἀπολυσάτω δὲ: *ne separet quidem, sed repudiet tamen aliquando*: quasi non omnis repudiatio separatio sit, sed ea tantum quæ illicita est. Mirum etiam quod quia quædam separatio prohibetur, nempe ea quæ humana non divina auctoritate niteretur, ideò etiam illam separationis vocem, vbicũq; occurrit, vtcunq; indefinitè & communitèr vsurpetur, pro illegitima separatione sumendam contendat: mirum dico, et eo magis, quod nec aures ipse suas consuleret, cum vocem separationis (quam res ipsa clamat communem esse tàm iustis quam iniustis repudijs & aljs itidem disiunctionibus) ita temerè ad iniustas restringeret. Ne illud quidem pro suo more acutè aut intellgentèr, quod vocem separationis apud *Matt.* 19. 6 in malam partem accipi ex eo collegerit, quod ibidem aliqua eius species prohibeatur. Quis enim grammaticus vo-

cem

cem concumbendi in malam partem ab eo accipi dicat, qui prohibet cum ea concumbere quæ legitima vxor non sit? vbi non concubitus, sed concubitus cum tali muliere reprehenditur.

Atenim (inquit Pyus) *vtitur Apostolus etiã verbo καλλαλῦναι, & dissidia & offensiones ostendit causam illius discessionis fuisse:* Leuiora scilicet dissidia, & leviores offensiones: Nam si etiã graviora dissidia & offensiones graviores comprehendit, quidni & illa comprehendat quæ ex scortatione oriuntur, nisi forte (quod insanissimum esset) nulla ex istis exoriri dicet? Quid ergo? non dicimur καλλαλῦναι nisi cum dissidia leviora fuerant? Imò verò cum grauissima et capitalia fuerant. Clamat vox ipsa: nec negabit, credo, grauissima fuisse illa inter hominem et Deum dissidia, quibus opus erat mediatore Christo, quæq; a Paulo sæpiùs (ἐχθραὶ) inimicitiæ dicuntur. At de reconciliatione ex huiusmodi dissidijs, quoties scriptura hoc verbo græco, & eius coniugatis vtitur? 2. Cor. 5. θεὸς ἦν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ: & statim τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς: & iterum καταλλάγητε τῷ θεῷ. & Rom. 5. 10. εἰ γὰρ ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ θεῷ. Sed addit *Pyus cum istud si separetur maneat innupta,* pro præcepto domini proponatur, *quem constat causam adulterii discrè excepisse, non posse hoc loco istam separationem pro divortio ob causam adulterij intelligi:* Vbi vt taceam, quod in primis negãdum est (quid enim magis hic in controversia quam vtrum Dominus ex sua in futurum, an simplicitèr ex Mosaica sententia exceptionem illam adhibuerit?) primum detur hoc *Pyo,* in præcepto domini quod v. 10. & 11. continetur, subintelligendã exceptionem *Nisi ob fornicationem,* quanquam satis, vel potius nimis dura ista interpretatio (mulier a viro ne separetur, nisi ob fornicationem) sed detur istud, an igitur in secunda clausula repetetur istud integrum, nisi ob fornicationem? vt cum dicit Apostolus, si discedat, maneat innupta, integrum sit, nisi scilicet ob fornicationẽ discesserit? An potius ita supplendum, si discedat, scilicet etiam ob fornicationẽ, maneat innupta? iudicent linguarum periti. Videtur enim

po-

poſteriorem interpretationem communis loquendi ratio approbare, priorem aſpernari. Sed nihil certè opus ad iſtas reſponſiones confugere. Habemus enim huius loci Paulini interpretationem claram facilemq;, quæ omni contra-ſentientium exceptione maior videtur: vt quod dicitur *mulier à viro ne diſcedat*, intelligatur non abſolutè dictum, ſed ſuſpenſa oratione ad id quod ſequitur: vt ſententia ſit, *mulier à viro*, aut *ne diſcedat* (ſcilicet vlla ex cauſa) aut *ſi diſcedat* (ſcilicet vlla ex cauſa) *maneat innupta, aut reconcilietur viro*. Vnde & quod additur *vir mulierem ne dimittat*, ſimilitèr quoq; ſupplendũ vt ſententia ſit, *vir mulierẽ* aut *ne dimittat* (ſcilicet vlla ex cauſa) aut *ſi dimittat* (ſcilicet vlla ex cauſa) *maneat celebs, aut vxori reconcilietur*.

Commentatio ſecunda.

Statum controverſia à Pyo mirificis hallucinationibus peruertebatum eſſe, nec in minore propoſitione Howſoniana, quam Pyus tam prolixè oppugnat, quicquam aliud dici quam quod Pyus ipſe pluribus in locis ſeriò confitetur.

Syllogiſmus primarius qui (vt ait *Pyus*) ab *Howſono* veluti ſolum quoddam & fundamentum poſitus eſt, ab *Howſono*, p.9. ita proponitur & à *Pyo*, p.2. ita repetitur.

Divortium quod concedebatur Iudæis propter duritiem cordium, vt viz. vxores dimitterent & alias ducerent, ſublatum eſt per adventum Chriſti.

Sed illud divortium fuit ſolum propter adulterium. Ergo

Divortium propter adulterium ſublatum eſt per adventum Chriſti: & proinde iam non licet ne propter adulterium quidem vxores dimittere, & alias ducere.

Par.1. Oſtẽditur, illud quod in minore Howſoniana dicitur de divortijs Moſaicis niſi ob adult. illicitis, ipſiſſimã eſſe Pyanam ſententiam.

Contra maioris in iſto ſyllogiſmo propoſitionis vim & corpus, vt in ſequentibus facilè apparebit, ferè nihil dicit *Pyus*, niſi tantum indirectè & ex conſequenti, & penè ignorans: Contra minorem totus pugnat. Nec tamen negat illicitum fuiſſe divortium vigente politia Moſaica, quod ob aliam vllam cauſam quam ob adulterium

fieret. Imò verò hoc non modò aſſerit, & ſeriò confirmarẽ nititur, ſed & aliarum quoq; rerum ferè paſſim fundamentũ ſtatuit. P. 3. lin. penultima, divortia ob duritiem cordiũ tolerata, de quibus, *Mat.* 19. quæ paſſim ſupponit non fuiſſe ob adulterĩũ, ſed ob alias quaſcunq; cauſas, in ipſa lege planè prohibita fuiſſe dicit: vnde contra maiorẽ *Hoſſoviani* ſyllogiſmũ colligit, nihil opus fuiſſe vt à Chriſto antiquata dicerẽtur. P. 5. lin. 21. hujuſmodi divortia vt legi divinæ, iuriq; matrimonij adverſantia παρανομίας damnat: & ne forte ſentire videatur legi quidẽ Decalogi adverſari omnia divortia extra cauſam adulterij, ſed per diſpenſationem tamen Moſaicam pro tempore iuſtificari: ecce p. 27. lin. 8. & ſequentibus idipſum quod Chriſtus dicit *qui dimiſerit vxorem extra rationem ſcortationis facit vt ea mœchetur*, non (inquit) Chriſtus *primus dixit, ſed Moſes quẽ in illo capite interpretabatur, luculentiſſimè expreſſit.* Quid eſt quod à *Pyo* hoc loco dicitur Moſes, ante Chriſtum dixiſſe? certè eum qui vxorem dimiſerit extra cauſam fornicationis facere eam mœchari. *ergo* ſecundum *Pyum* etiam apud Moſem, & in eo ipſo loco vnde permiſſio Moſaica vrgetur, divortium extra cauſã adulterij interdicitur: nec impedit quod, p. 40. lin. 1. & p. 49. contra ſentire videatur: hoc enim hominis inconſtantiæ tribuendum, cui nulla ſecum pax ſecura: & nihilominus tamen illud potius pro ſententia ejus ſumẽdum, quod probabilius & apertius ſtatuere videtur. Quale certè iſtud eſt quod loco prædicto aſſerit, exceptionem de cauſa fornicationis etiam apud Moſem haberi: quid enim ſi in illo, *quia invenit in ea nuditatem rei* non continetur, modo in huius ipſius loci circumſtantijs eam haberi concedat? quemadmodum & alibi, p. 21. lin. 27. hoc ipſum æquè diſertè profitetur. *Quod* (inquit) *Abulenſis fatetur, hanc quoq; eſſe opinionem Iudæorum omnium, quòd nullo modo liceret Iudæo ſecundum hanc legem* (ſci. Deut. 24.) *repudiare vxorem niſi propter eiuſmodi turpitudinem quæ fornicationẽ includit, libenter admittimus & amplexamur, ſi de eo quod hor naturam ſua eſt, aut per legem divinã licet, intelligatur:* quid eſt hoc quod dicit per legem divinã

non

non licuisse Iudęo vxorem repudiare nisi ob turpitudinem quæ fornicationem includit? certè per verba Mosis quę habentur quatuor primis versibus 24. *Dent.* immediatè enim post hoc dictum, confirmationem ex hoc ipso loco adiungit: quia inquit ibi apud Mosem de ea quæ ob alias causas quam ob adulterium repudiatur dicitur, mariti culpa factū vt se pollueret; *ergo* hoc per legem divinam non licuit: quid *ergo* potuit certiùs statuere? certè enim hanc interpretationem pollutionis de qua Moses *v.*4. ne forte temere ei excidisse videatur, alijs locis per totam disputationem penè ad fastidiū inculcat (pag.14.27.32.55.) quibus locis omnibus, & alijs etiam pluribus, omnes alias divortij causas præter adulterium à Mose improbatas contendit.

Quid igitur restat nisi vt, cum duo ab *Howsono* in minore propositione dicantur, alterum Iudæis secundum Mosem non licuisse suum diuortium ob alias causas quam ob adulterium: alterum licuisse ob adulterium, vtrumq; suam esse sententiam fateatur. nam si forte posterius non agnoscit (contrarium enim vt dixi videtur ponere. p.40. & 49) certè in exceptione Christi *Matt.*19.9. istud contineri confitebitur: alioquin vnicum pro secundis post divortium ob adulterium nuptijs fundamentum evertit: atqui exceptionē istam a Christo ex ipsissima sententia Mosaica depromptā, & locis supra notatis et p.55.lin.21. palam profitetur: eandem exceptionem vocat legem ἀπ' ἀρχῆς p.27 lin.5. ad quam Christus *Matt.*5.32. revocaret & restringeret permissionem Mosaicāteandem p.31.lin.1. vocat ἔνθεσιν legis naturæ, ita cum huic exceptioni Moses sine dubio nihil detraxerit (videtur enim potius addidisse etiam alias) certè etiam sub Mose secundum *Pyum* licuit divortium ob adulterium. Ad hæc nisi fatetur sub Mose licuisse divortium ob adulterium quomodo p.36.& 37. negat esse σκληροκαρδίαν adulteram dimittere? certè enim σκληροκαρδία est contra licitum concupiscere, Quomodo etiā eadem.p.37.& p.14. negat licere adulteram retinere? quid enim iniquius quàm vt nec retinere liceat, nec dimittere? nec dubium quin locis

illis prædictis retentionem saltem non resipiscentis illicitã statuat, vt commentatione 5. *Par.* 5. post medium planiùs apparebit: eadem cõmentatione ad obiectionẽ 7^m. docebitur eundem *Pyum* dicere divortium ob adulterium, secũdum Mosem ita esse permissum, vt prohibitum, id est illicitum nullo modo dicendum sit. *In* manuscripto deniq; ad *D. Gentilem* negat id quod D. *Gentilis* dixerat, *mulieres sub lege coactas ferre scortatores viros.* Quod dictum cum sano homini nihil aliud sonare posset, nisi mulieres non potuisse viros scortatores repudiare, necesse est, eum qui huic dicto contradicat, affirmare etiam mulieribus licuisse, in causa scortationis, vigente lege Mosaica maritos dimittere, Ita nulla planè fuga est quin vtrumq; eorum, quæ in minore *Howsoniana* dicuntur (divortium secundum Mosem et ob adulterium licuisse, & ob alias causas non licuisse) *Pyus* ipse concesserit. Sed cum hæc duo statueret, nec aliud planè quicquam Minor *Howsoniana* (quam ipse ita prolixè oppugnat) sonare videretur, p. 22. lin. 13. & sequentibus, post quã hanc suam sententiam palam ibidem prodidisset, ne dum *Howsonianam* Minorem oppugnaret; suam quoq; ipsius sẽtentiam oppugnare videatur, quæstionis de Minore propositione *Howsoniana* mirum quendam statũ excogitat. *Neq;*, inquit, *a nobis hic quaritur, vtrum licita fuerint eiusmodi divortia,* (scilicet quæ ob leviſſimas quasq; causas fierent) *sed an a Iudæis facilitata fuerint, et in vitiosos ipsorum mores inducta.*

Parag 2. retegitur indignissimum *Pyanũ* effugium, dum ne in minore *Howsoniana* (contra quam ita multis pugnat) nihil dici videatur, nisi quod ipsissimã esse *Pyi* sententiam ĩ demonstratũ

Intolerabile istud et indignum, cum tot sint hujus interpretationis *Pyanæ* & tam manifesta incommoda, eorum nullum, neq; hoc loco, neq; in responsione ad *Albericum Gentilem* (vbi eandẽ Minoris *Howsonianæ* interpretationẽ repetit) amoveri, nullum agnosci, sed assertione nuda lectorem in spinas conijci, & in ijsdem inextricatum deseri. *Quid* enim dicet? vtrum *de minore Howsoniana quæstionem non esse*, an cum in ea dicitur *divortium à Mose concessum Iudæis*, idem prorsus hoc esse ac si dixisset, *divortium à Iudæis visitatũ?* Nihilnè hic *Pyus* vidit difficultatis, vt se explicare neglexerit? *Nõne cum*, p. 7. lin. 10, quæstio ab *Howsono* propo-

nitur

nitur de dispensatione Mosaica, intelligere poterat longè aliud quæri quam de consuetudine & praxi Iudæorũ? *Cum* ad tot argumenta *Howsoniana* responderet, quorum certè nullum probat vsitatum apud Iudæos ob solum adulterium, sed tantum docent, quid lex aut dispensatio voluerit, cur cum ad illa argumenta responderet *Pym*, nusquam monuit aliena ista a proposito, non concludi controversum sed confessũ? *Cur cum* ipse κατασκευαστικῶς, vt loquitur, disputaret, nunquam satis habuit probare vsitata fuisse Iudæis ob alias causas quam ob adulterium divortia, imó vix conatur quidem hoc vnquam probare: sed eò semper tendit vt doceat, in textu Mosaico, non autem in vsu Iudaico alias divortij causas agnoscendas? Proferat vel vnum verbulum *Howsonianum* vnde hanc fuisse *Howsoni* sententiam vel levissimè suspicetur. certè p. 24. lin. 15. fatetur *Howsonus* etiã opinionem apud sapientiores, non modò vsũ apud ceteros de divortio ob alias causas quam ob adulterium invaluisse. Similia habet p. 44. lin. 19. Cur ergo *Pym* si eum quem dicit statum quæstionis suppositisset, nusquam eum sua confessione pressit? Burgensianam sententiam eandem esse cum sententia minoris *Howsoniana* agnoscit. p. 20. at ille apertè profitetur, *Thalmudicos, vt sæpè alias in rebus, ita hic quoq; mãdata Dei, per suorum traditiones irrita fecisse, & pro solo libitu voluntatis repudiasse vxores.* Inspiciat *Pym* ipsum Burgensẽ in *Deut.* 24, et cogitet qua fronte ei affingere possit, quasi diceret, vsitatum apud Iudæos repudium fuisse ob solum adulterium. Certè. p. 5 antithesin (idest contradictionem thesi *Howsoniane*) proponit *Pym*, de divortijs non vsitatis apud Iudæos, sed ijs de quibus agitur, *Deut.* 24. vbi et statum quæstionis ait eum esse, vt quæratur de divortijs apud Mosem, fuerintne solum in causa adulterij: quemadmodum & in manuscripta ad *Gentilem* responsione agnoscit, id quod aliquando dixerat *Gentilis, divortium Mosis fuisse ob solum adulterium*, cum assumptione *Howsoniana* idem prorsus esse. At quis divortia Mosis, & divortia inter Iudæos factitata idem esse dixerit? nemo credo nisi aut somnolentissimus, aut nequissimus, quæ

est: Mirum & ridiculum minori illi *Howsoniane* sensũ affingit quasi in ea *Howsonius* non dicat licuisse nullũ aliud, sed vsitatum fuisse nullum aliud apud Iudæos divortium, vigente politia Mosaica, nisi ob adulerium.

quæ corruptissimæ cõsuetudinis Iudaicæ fuere, omnia Mosaica fuisse dixerit. Legat saltem *Pyus* quod scripsit p. 20. li. 17. & sequentibus, vbi conclusionem disputationis ptolixę inferens, *ex his* inquit *omnibus diligenter pensitatis liquet in originali textu Deut. 24. literam Mosaicã divortiũ & secundas nuptias nõ propter adulteriũ solũ instituisse.* Quid ad hunc locũ respondebit? vtrum non illatam a se fuisse istam conclusionem vt thesi *Howsoviana* directè contradictoriam? imo vero post longam contra eum disputationem hoc tandem concludit: idq; ipsissima verba conclusionis *Howsoviana* retorquens, sola interserta negativa particula, quam ideò literis maiusculis signavit, vt ità planè contradictoriũ thesi *Howsoviana* & se probasse hactenus, & his in verbis concludere indicaret. An igitur dicet idem esse quærere quid Moses instituerit, & quid per vitiosas consuetudines apud Iudæos inoleverit? impium certè istud nec *Pyi* Doctoris, sed Iuliani Apostatæ.

Admonitus de hac re gravissima *Pyus* noster, brevitèr et levitèr per *Alberici Gentilis* excusam ad *Howsonum* epistolam, *vt vsitatum & Iudæis facilitatum mittat cum de iure disputatio est*, tantum vt ne dormitanti aut casu, sibi istã minoris *Howsoniana* interpretationem excidisse, sed siccum & sobrium seriò delirare existimemus, respondet quidem, & interpretationem illam pro sua agnoscit, sed difficultatum quas hactenus diximus plurimarum, nullam amolitur, nullã sentit. *Præterea* inquit, *quod vsitatum & a Iudæis facilitatum mitti vobis postules, qui de iure disputatis, vanum & iniquum est. disputatio enim vestra de facto magis quam de iure instituitur. non enim quæritur an divortia de quibus mentio fit Deut. 24. licita fuerint necne: sed an in causa adulterii tantũ facilitata fuerint. Constet primum inter nos de facto, eiusq; circumstantiis, tum de iure inquiretur si libet. Lex illa Mosis tota recitationem habet facti divortii, ex quo postea ius oritur, & constituitur, quid et quale sit illud factum inter nos controvertitur.* Hactenus *Pyus* in manuscripta ad *Gentilem* responsione, nec aliud addit quicquam homo supinissimus, quo suam hanc interpretationem

in-

innumeris incommodis expediat. Vanum inquit & iniquū est postulare, vt mittatur quæri quid Iudæis in vsu fuerit: cur ita? quia inquit constare debet primùm de facto, ejusq; circumstantijs: imo vero si non constaret de facto, tamen & quæri vtilitèr posset, quid iure facere potuissent, & vtilitèr etiam omitti quæstio tota de facto, vt quæ ad præsens negotium vix quidquam adiuvet: quanquam & certissimè cōstat de facto, fuisse apud Iudæos repudia ob alias causas quā ob adulterium: de circumstantijs quoq; facti constat, per libellum repudij facta fuisse repudia Iudaica: quid ergo impedit quò minus de jure quæramus, cum hoc vno admisso *iure facta non fuisse*, minorem *Howsonianam* quæ aliud nihil dicit, in confesso habituri simus? nihil certè de hoc jure quæri impedit, nisi quod hoc ipsum *Pyus* ipse (vt supra ostensū est) et si alibi neget, alibi tamen disertè fateatur.

Sed *lex illa Mosis*, Inquit Pyus, *tota recitationem habet facti divortij, ex quo postea ius oritur & constituitur*: id vult, in lege *Deut.* 24. ad singulas clausulas vsq; ad initiū. v. 4. repetendam esse τὸ κοινὸν particulam *Si*, quæ 1. versu, et 4° exprimitur, vt continuetur sententia, & per facti suppositionē (quam facti recitationem obscurè vocat) suspendatur vsq; ad v. 4^m. Ius autē illud quod ex ista facti recitatione, seu potius suppositione oriri dicit, nullū aliud intelligit, nisi quod v: 4° sancitur, vt ne liceat priori marito, repudiatam et alteri nuptam recipere, Ita cum de hac quidem lege, de hoc iure, nulla omnino controversia sit, aliud autem ius (cum in superioribus nihil putet enuntiandum absolutè aut categoricè) nullum hoc loco esse præsumat, hinc colligit circa hunc locum nullam de iure moveri posse quæstionem. Admirabilis certè argumentandi ratio. Non est legendum inquit, scribat ei libellum repudij, sed per suppositionem si scripserit, & sic in cæteris suspendenda sententia vsq; ad v 4^m. ita vt nihil hic lege sanciatur ante v. 4^m. ergo inquit controversia inter *Pyum* & *Howsonum*, non est de iure, vtrum per Mosem licuerit: sed de facto, vtrum apud *Iudæos* vsitatū fuerit divortium ob solum adulterium.

Primum

Primum falsissimum est antecedens, *Non* enim ita suspẽdenda sententia, quin disertam quoq; legem v. 3. agnoscamus, vt alibi plenius docebitur: & ipse certè *Pyus* in libro excuso contra pronuntiare non ausus, liberum lectori iudicium relinquit, quasi parum ad se hoc attinere putans (habeant, inquit, illa *scribat libellum repudij*, ratione legis) quod tamen nunc nisi perneget eò se redactum intelligit, vt cum adversario de eo quod maximè contradicit, consentire videatur. Deinde etiam quam misera est ista consequentia? *In superioribus versibus, nulla est dispertalex aut sanctio, ergo de iure facti eius de quo in illis versibus agitur, nulla potest esse quæstio.* De iure enim facti aut iniuria, sive in textu exprimitur sive non exprimitur, quæri potest, & vtrum omninò sit, & vtrum exprimatur.

Parag. 3. pre e'uditur alterum effugium: & docetur *Howsonum* cũ dicit divortiũ Mosaicum fuisse ob solũ adulterium, nõ loqui de divortio quod ita permitteretur vt nihilominus peccatũ esset, sed de eo quod vigente politia Mosaica peccatum non esset.

Sed mittamus ista *Pyo* nostro nimis indigna: parum sit quod ostendimus hactenus vanissimum esse quod ab eo vnicum prætenditur, quo minus in *Howsoniana* minore oppugnanda suam ipsius sententiam oppugnet: parũ sit istud, nisi etiam aliud esse nihil, quod a quoquam rectè prętendi possit ostendamus. Id quod profecto lucè clarius erit si ostendetur *Howsonum*, per vocabulum *concessionis*, quo in medio termino sui syllogismi vtitur, *iustificativam*, non *tolerativam* permissionem intelligere. *Iustificativam* dico permissionem, quæ id quod secundum eam fiat iustificet, ita vt peccatum non sit quod alioqui peccatũ fuisset. *Tolerativã* quæ tantum præteritio sit, & conniventia, nihil in eo quod secundũ eam fiat iustificans aut excusans: *Tolerativam* divortij permissionem si in minore sua dixisset *Howsonus* nullam apud Mosem esse, nisi in sola causa adulterii, maneret quidem inter ipsum & *Pyum*, de minore illa propositione controversia aliqua. (*Pyus* enim disertè affirmat Mosem divortia ob alias causas tolerasse) sed si de permissione *iustificativa* intelligendus *Howsonus*, (ita vt in minore sua hoc tantum dicat, nulla ludæis secundum Mosaicam permissionem iusta & licita fuisse divortia, ita vt alteram ducerẽt vxorem, nisi in sola causa adulterij) certè de minore ista propositione

positione (quam tamen *Pyus* ita graviter accusat, et prolixè oppugnat) mira erit inter *Pyum* & *Howsonum* concordia. Hanc enim ipsissimam esse *Pyanam* sententiam supra demonstratum est. *Primum* igitur ad id quod ante significatū est quid respondebit? quod ex. p. 14. lin. 16. apud *Howsonū* & apud *Pyum*. p. 20. lin. 17. (vbi de eo quod Moses *instituisset* prolixas circa minorem disputationes directa contradictione concludunt) manifestissimum sit *Howsonum* non modo loqui de permissione *iustificativâ*, sed etiam ita a *Pyo* intelligi loquentem? Quomodò enim dicet quicquam nomine *institutionis* Mosaicæ a se intellectum, nisi quod ei qui secundum eam institutionem faceret, peccatum non esset, quamdiu quidem obineret illa institutio? Ne *permissionis* quidem vocabulum cum de lege divina loquimur, nisi de permissione *iustificativa* satis commodè intelligere potuit. Nō enim impunitum quicquam lex divina permittit quod peccatum sit, ideoq; ne tolerat quidem quicquam huiusmodi, nisi forte ea per legem impunita sini, aut tolerari dicemus, quibus pœnam nullam temporalem lex præscribit, vtcunq; ijsdem (quod certè lex divina facit omnibus peccatis) pœnam æternam minitetur. Mortalium quidem legislatorum voluntate, & divina quoq; voluntate, eâ quæ *beneplaciti* dicitur, peccata permitti dicimus: Mosaica verò lege, id est divina voluntate, ea quæ *signi* dicitur, peccata permitti ne *Pyus* quidē ipse, si modo sibi constabit, dixerit. Si enim dixerit aliqua peccata in lege permissa esse certe (cū cōstet omnia peccata in lege prohibita esse) necesse fateatur idem esse prohibitū et permissū. At p. 42. lin. 28. probat non fuisse permissum sacrificare Molocho, quia prohibitū fuit: & p. 27. nihil putat absurdius quam iussum & permissū confundere: vnde (cum perinde sit iussum cum permisso, & prohibitum cum permisso confundere) ne permissa quidem vlla, si modo sibi constabit, in prohibitis numeraverit.

Sed vt in hoc vocabulo falli *Pyus* potuerit (per immoderatam enim loquendi licentiam non modo *quæ non prohibēntur*, vt, secundum quosdam polygamia in veteri lege, & *Quæ nō cohibēt*, vt peccata *quæ*

quæ fiunt omnia, sed etiam quæ in lege *non præcipiuntur*, vt matrimonium, & quæ in ea temporaliter *non puniuntur* vt vsura, omnia ista ambiguè permitti dicuntur) ex vocabulis tamen *dispensationis & concessionis*, quibus *Howsonus* libentiùs vtitur, permissionem *iustificativam Pyni* noster facillimè intellexisset. Est enim dispensatio exceptio quædam particularis in lege generali, nec sanus credo quisquam, nisi fortè dormitans, per dispensationem intellexerit meram conniventiam, vnde nulla sit earum rerum, quæ iuxta eam fierēt iustificatio, aut excusatio. *Concessionis* quoq; vocabulum similiter ex communi vsu accipiendum, indicat Scholasticorum illa distinctio, qui *mandata* intelligunt de rebus necessarijs, *concessa* de bonis quæ possunt omitti, *permissa* de minus malis. Et vocabulum certè istud si aliter *Pyni* accipiendum putasset, nunquam ita diligens verborum censor, in manuscripta ad *Gentilem* responsione sine nota prætermisisset: aut illud quod habetur apud *Gentilem de iniustis in lege perfecta, sed iustis concessis in lege imperfecta*: aut quod idem Gentilis ait, quæstionem non levem esse, *num lege Mosis tantū toleraretur an concederetur divortium.*

Sed vt ista mittantur. Nōne Burgensis (cuius sententiā, vt supra dictum est, agnoscit *Pyni* eandem esse cum sententia minoris *Howsoniana*) in *Deut.* 24. ex professo contra Lyranum disputat, divortium Mosaicum ludæis sub lege peccatum non fuisse? Legit certe *Pyni* apud *Howsonum. p. 4. vt illis liceret quodam in casu vxores dimittere.* & p. 9. dispensationem qua *liceret* ijs vxores dimittere. Imò vero ipse *Pyni* p. 12. lin. 25. agnoscit *Howsonum* loqui de divortij *causa legitima.* & p. 33. lin. 21. *Nōne*, inquit, *actū iri videt de tua exceptione, quā ob adulterium illa lege Mosaica vxores dimittere licuisse, fasq; fuisse doces?* Quomodo ergo dicetur *Howsonianam* sententiam de permissione tantùm *tolerativa* à *Pyno* intellectam, cum *Howsonus* clamet se de permissione *ea* intelligendum, per quam *liceret* id quod permittitur: & ipse Pynus agnoscat *Howsonū*, de causa legitima loqui, & eiusmodi permissionē intelligere, quæ *exceptio* sit, (quæ certè vox vel ipsa dispen-

sationis

sationis voce efficatior est) quęq; faciat vt liceat & fas sit id quod permittitur? Meminisset saltem *Howsonum* per totam interpretationem suam, locorum *Matt*[i]. 5. & 19 quam per paginas plurimas explicat & cōfirmat (inde a pagina 16. vsq; ad 44[m].) nihil magis insignitè dicere quam verba Christi *Nisi ob fornicationem*, ipsissimam esse Mosaicam sententiam, ideoq; eundem etiam liberè passim profiteri particulam illā *Nisi* exceptivè accipiendam, ita vt per eam significetur non mæchari (sc: secundum Mosem) eum qui adulterâ dimissâ alteram ducit. Hoc qui in *Howsoniana* sententia non videt, quam maximè hospitem se in eius libro fateatur necesse est. Fatendum ergo necessario *Howsonianam*, per totam eius disputationem, sententiam disertam, manifestam, & constantem de permissione Mosaica esse, *vt* dicat eam non tātùm *tolerativam*, sed planè *iustificativam* (quamdiu quidē obtineret) fuisse. Vnde & minoris *Howsoniana* hāc esse sententiam necesse est, vt dicat divortiū quod Moses Iudæis ita concessit, vt peccatum ijs non esset, qui secundum istam concessionem facerent, fuisse ob solum adulterium. Hæc cum (vt iam supra probatum est) ipsissima sit *Pyana* sententia, sequitur *Pyum* insigni inconstantia, & pari vel tarditate, vel negligentia in minore *Howsoniana*, circa quam ferè totus desudat, nihil nisi suam ipsius sententiam oppugnare. Argumenta quidem *Howsoniana*, quibus ille minorem suam probat, improbat *Pyus*, & in eo quidem manet controversia. Sed cum illud det quò tendunt omnia illa argumenta, miserum se, & miserabilem adversarium fateatur. Nec necessaria iam erit, sed gratuita & liberalis responsio ad ea quæ contra argumenta *Howsoniana* ab eo excipiuntur. Nō enim de medijs nisi propter finem laboramus: nec, dum ad eundem nobiscum portum perveniat, multum laboramus, vtrum eâdem viâ, & eodem vento.

Commentatio tertia.

De pracipua Pyana obiectione contra maiorem propositionem Howsonianam. Vbi tractatur quastio ad totam præsentem controversiam momenti maximi. Vtrum permissio Mosaica de repudio. Deut. 24. *toleratio, an concessio fuerit: siue quod eodem recidit. Vtrum peccaret qui vigente politia Mosaica iuxta illius permissionis præscriptū vxorem dimitteret, et alterā duceret.*

Parag. 1. Ostēditur quo modo ex tractatione quæstionis vtrum Mosaici divortij permissio toleratio sit, an concessio: non modo præcipua contra maiorem Howsoniana n obiectio solvatur sed alia quoq; maximi momenti constituantur.

Maior *Howsoniana* (cuius, vt ex supra dictis apparet, hæc sententia est, vt dicat *divortium illud, quod Moses ob duritiem cordium ita concessit, vt peccatū non esset, iam post adventū Christi sublatum esse*) non potest non esse absurdissima, si apud Mosem nulla extat huiusmodi concessio, quin peccaret nihilominus, qui iuxta præscriptum Mosaicę permissionis vxorem repudiaret. Quorsum enim diceremus illicitum iam esse quod olim licuit, si ne olim quidē licuit? significat hanc obiectionem *Pyus*, p. 3. *Christúmne*, inquit, *putas in hunc finē venisse in mundum, vt polygamijs, & repudiationibus iniustis finē imponeret, quæ omnia ipsa dei lege sanctioneq́, planè prohibita norunt omnes, qui ad mentem legis animum paulò attentiùs advertunt, etsi contra legem admissa temporum iniquitate, & hominum in moribus inveteratis obstinatione tolerarētur?* Digna sane obiectio quæ pluribus à *Pyo* explicaretur & confirmaretur. Cū enim, vt supra ostensum est, minorem rectè intellectam ne ipse quidem *Pyus* negare possit, certè in hoc vno tota iā difficultas cernitur, omnisq́; ferè cardo vertitur. Imo verò dato & posito hoc fundamento, Permissionem Mosaicam nō fuisse meram tolerationem, sed eiusmodi concessionē, quæ repudium iuxta eam factum iustificaret, non modo obiectio illa prædicta, quæ alioqui minimè contemnenda est, planè nulla erit: sed alia quoq́; multa & magna pro *Howsone* contra *Pyum* consequentur. Primum enim, iacto hoc fundamen-

damento confirmatur quicquid in maiore *Howſoniana*, ad concluſionem eius efficiendam neceſſarium eſt. Illud enim *per aduentum Chriſti* ſalua concluſione omitti poterat: modo inconcuſſum maneat cauſam divortij, & ſecũdarũ nuptiarum, quæ olim fuit licita, iam non eſſe licitam. Hoc enim, vnà cum minore *Howſoniana* poſitum concluſionem *Howſoniaam* efficit. At hoc certè ſi quis neget, vt puter adhuc licitam repudij cauſam eam quæ olim licuit, admiſſo iſto de quo loquimur fundamento, per vnicum hunc ſyllogiſmum confirmabitur.

Cauſa, de qua Moſes loquitur, olim fuit licita.

At cauſa, de qua Moſes loquitur iam non eſt licita, Ergo

Iam non eſt licita quæ olim fuit licita.

Maior ipſiſſimum eſt fundamentum illud, quo dato, multa dicimus magnáq; ſecutura. Minorem ſi negat *Pyus*, neceſſe aut contra multas ſuas paginas, dicat Motem loqui de ſolo adulterio: aut, quod planè Iudaicum eſt; dicat alias cauſas præter adulterium eſſe, de quibus Moſes ita loqueretur, vt iam quoq; eædem licitæ ſint cauſæ divortij. Nec verò maior ſolum *Howſoniana*, ſed minor etiam, quocunq; eam modo interpretabimur, hoc vno poſito fundamento firmiſſimè aſtruitur, vt vnico etiam ſyllogiſmo apparet.

Moſes id ſolum repudium permiſit, quod etiam ita conceſſit, vt in repudiante peccatum non eſſet.

At nullum repudium ita conceſſit Moſes niſi in ſola cauſa adulterij. Ergo

Nullum permiſit niſi in ſola cauſa adulterij.

Similitèr & ad confirmandum primum & præcipuũ *Howſon.* pro minore ſua argumentum, in eodem hoc fundamẽto auxilium firmiſſimum eſſe, ſyllogiſmus vnicus oſtendit.

Per Nervath davar apud Moſem eiuſmodi cauſa notatur quæ ſecundum eundem licita eſſet.

At ſecundum Moſem ſola cauſa adulterij, vel ipſo Pyo fatente, licita erat. Ergo

Per Nervah davar ſola cauſa adulterij notatur.

Ne illud quidem leue eſt quod hoc eodem fundamẽto efficio

ficitur, vt *Pyo* è manibus extorqueatur vnum ex præcipuis eius præsidijs, quod putet, novas post divortiũ illud de quo *Deut.24.* agitur nuptias, ibidem à Mose adulterij insimulati. In hoc enim magnum causæ fulcrum & adminiculum à *Pyo* poni indicant loca plurima supra notata, vbi hoc vnum vsq; ad tędium inculcat. Ita cum ad præcipuam obiectionẽ, qua maiorem *Howsonianam Pyus* oppugnat, dissolvendam, & ad alios quoq; vsus per totam præsentem controversiã plurimos maximosq;, tractatio vnius huius quęstionis (*virũ divortium Mosaicum tantum, toleratio sit, an etiam concessio*) inprimis conducat, certe hoc loco ante alia tractanda videatur.

Par.2. Proponitur sententia Pyana circa quæstionẽ prædictam, & insignes eius-dem circa eandem quæstionem negligẽtiæ ostenduntur.

Tantum vt meliùs de *Pyana* refutatione iudicetur, tria hic de eius insigni circa hanc quæstionem negligentiã, antequam ad id quod præcipuum est veniamus, notentur. Primum est, quàm peregrinũ se atq; hospitem in hac quæstione ostenderit, dum quæstionem istam, quæ tanti momenti est, pro aliena, & à re ipsa quasi penitus abhorrente ita temerè reijcit. In manuscripta enim ad *Gentilem* responsione, sub ipsum initium enumerat non pauca (& in ijs illã quęstionẽ) quę à sua disputatione, & *extra certamẽ semovet atq; seponit*, quasi ea, vt, loquitur verbosè, *ἀπροσδιόνυσα non necessaria, nihil ad cõtroversiã spectãtia*, Gentilis ἐξαμαξόμενος in suam responsionem inferciſſet. Eandem quoq; in sentẽtiam loquitur lib.excusi.p.35.vbi liberum & indecisum lectori relinquit. *Securus cadat, an recto stet fabula talo.* Alterũ est, quod in responsione ad *Gentilem* vbi hanc quæstionem vt *ἀπροσδιόνυσον* reijcit, fateatur se in libro suo excuso, pagina supra dicta, de eadem *ingenuè & ex professo rationes in vtramq; partem attulisse.* Vbi non vidit homo supinus, quantæ seipsum nugacitatis accusaret. Quid enim nugacius quam ingenuè & ex professo de eo quod ad rem nihil attineat disputare? Tertium est, q̃ cũ duo falsissima de hac quæstione sentiat, alterum peccasse eos sub lege Mosis qui iuxta præscriptum istius Mosaicæ permissionis facerent (id quod in sequentibus refutandum est:) alterum hanc quęstionem

Pyus intra paucas lineas somnolentissimè seipsum iugulat.

onem nihil ad præsentem controversiam attinere (id quod in superioribus refutatum est) vtrumq; horum ità inconstanter & hallucinanter proponat, vt non tam hominis vigilantis disputationem, quam dormientis insomnium legere videamur. Ex comparatione quorundam locorum apud eum (quorum duo quidem sunt in libro excuso, alter p. 32. alter p. 35. reliqui sunt in manuscripta ad *Gentilem* responsione) facile istud apparebit. Primus locus in libro excuso, p. 32. inspiciatur perplexus & obscurus. Sed ibi (id quod bona & sancta fide dictum sit, ne necesse sit longum locum interferre) hæc sententia est: probat Christum in exceptione *Nisi ob fornicationem* non agere interpretem Mosaicæ permissionis, quia si ita esset, interseri in permissionem Mosaicam illa exceptio, salvis loci Mosaici circumstantijs, posset; hoc autem non posse fieri probat hoc syllogismo.

Si illud Nisi ob scortationem *in permissionem Mosaicam interseratur, sequetur non machari eum secundum Mosem, qui ſtãte politia Mosaica repudiatam duceret.*

Sed secundum Mosem macharetur qui mulierem, vtcunq; iuxta ipsius præscriptum repudiatam duceret. Ergo

Illud Nisi ob scortationem *non est in permissionem Mosaicam interserendum.*

Maior huius syllogismi proculdubio vera est, sed eam homo negligens dum probare nititur, de sequela (in qua semper hypotheticæ propositionis veritas omnis aut falsitas cernitur) nihil dicit: tantum probat, idq; validissima ratione ex fine libelli repudij petita, secundas post divortium Mosaicum nuptias in neutra persona secundum Mosem fuisse adulterium. Vbi suam certè quam dicimus sententiam, quã in ipsa minore huius syllogismi complectitur, directà contradictione iugulat. *Equidẽ*, inquit, *contra hoc* (*i. contra maiorem præfictam*) *nihil à te allatum video, nec quor sum in Mose pertineret libellus repudii, cuiusq; in ipsius repudiata maxime, certè ad eius commodum traditio, despicere* (non) *possum nisi vt testimonio esset, ipsam à priori marito liberam & solutam esse, eamq; sui esse iuris factam, vt tam ipsi fas sit, quam repudiantis marito nouũ ma-*

*Expungenda ista particula negativa, quæ per oblivionem alterius negativę supra positæ irrepsisse videtur.

matrimonium conciliare. Quæro hic a *Pyo* nostro vtrum sentiat Mosem probasse an improbasse libellum repudij. Respõdebit proculdubio repudiationem quidem ipsam à Mose improbatam, modum autem, vt fiat per libellũ repudij approbatum: at secundum *Pyum* nulla traditionis huiusmodi libelli ratio afferri potest, nisi vt testimonio sit mulierem esse liberam, vt cui velit nubat: ergo secundum *Pyum* probavit Moses vt mulieri daretur aliquid, in huiusmodi testimoniũ: At probasse Mosẽ vt testimoniũ mulieri daretur, liberam eã esse ad id faciendũ q̃ ab ea fieri minimè licuit, ne monisi ἄθεος dixerit, fatetur ergo *Pyus* hoc loco repudiatę iuxta permissionẽ Mosaicã licuisse alteri nubere (idipsum scilicet quod verbis immediatè sequentibus disertè negat) sed cum hoc fatetur, necesse etiam vnà concedat, maritum priorem per repudiationem non facere vt ea mæchetur. Idq; etiã ipsum in repudiando non peccasse. Si enim peccaret, certè eo nomine peccaret, quod per iniustam repudiationem eius quæ semper ipsius vxor esset, faceret eam mæchari.

Secundus locus in libro excuso p. 35. vbi de industriâ, & deditâ operâ tractans quæstionem, vtrum tres primi versus *Deut.* 24. per continuativam suspensionem legendi sint, liberũ lectori relinquit. *Habeant*, inquit, *illa, scribat ei libellum &c. rationem legis.* Cũ tamen in epistola manuscripta ad *Gẽsulem* (vt commentatione 2ª. propè finem 2ª. paragraphi supra ostensum est) disertè asserat eosdem versus tantum facti suppositionem habere, & per suspensionem, subintelligẽdã ad singulas clausulas conditionali particulâ legendos esse. Atqui in eadem epistola ad *Gẽsulem* non longè ab initio, profitetur se cũ loco prædicto, p. 35. tractat quæstionẽ, *virũ ita vt diximus suspendendi sint tres prædicti versus: insignitè, et ex professo* tractare quæstionẽ de divortio Mosaico, toleratúmne tantũ an etiã concessum fuerit. Duæ ergo secundũ *Pyũ* istæ quæstiones eædem sunt. Ita cum in priore quęstione alibi quidem, ac si ad rem nihil attineret nihil statuit: alibi, quasi sua multum interesset, partem alteram disertè tuetur. In posteriore quoq; quæstione quam nunc præ manibus ha-

habemus, similitèr eum fluctuare & turbare confitendum est.

Postremus locus in eadem Epistola ad *Gentilem* non lõgè ab initio. *Varient*, inquit, *& utroq; rem trahant (sc. in quæstione ista toleratumnè an concessum sit divortium Mosaicum) modo ratum, firmum, fixum teneatur, quod veritas ipsa testatur, & contestãtur Pharisæi, Mosen* permisit *dimittere uxorem, ita tamẽ ut nec in dimittente, nec dimissa si aliu nupserit, coram Deo adulterium esse definiret: Quod a me tam ex permissu Mosis, quam ex interpretatione Christi firmissimè probatum est.* Hactenus *Pyus*. Quibus verbis, vt sententiam eorũ brevitèr complectar, ait se nihil morari, vtrũ repudiatio Mosaica licita fuerit, an illicita, modo ne imperata sed permissa, & novę quidẽ nuptiæ ne permissæ quidẽ, sed manifestò adulterinæ statuãtur. Atqui si novæ nuptiæ adulterium sunt, certè non modo non imperata, sed illicita Mosaica repudiatio: Et si licita ista repudiatio, certè & novæ nuptiæ licitæ. Vnde & ipse *Pyus* p. 22. lin. 1. repudiationem istam illicitam fuisse ex eo colligit, quod novum cõiugium adulterium sit. Quid ergo istud est ꝙ dicit *Pyus, ita tamẽ & ei* Id certè, vt concedat nobis dicere licitam fuisse repudiationem Mosaicam, modo id dicamus etiam, quod cum isto nullo modo potest consistere. Id est, concedit quidem vt hoc dicamus, ita tamen vt hoc ipsum ne dicamus. In ista inconstantia & incertitudine si quæritur cur duo illa quæ dixi pro eius sententia sumerem, vt sc. putet divortium Mosaicum non fuisse licitum secundum Mosem, & simul putet istam quæstionem ad præsens nihil pertinere: Respondeo, de priore quidem quia nihil dicit sæpiùs aut confidentiùs, quam illud facere pollutam *Deut.* 24. 4. esse facere mœcham, quod cum prioris dicti contradictorio consistere nullo modo potest, vt. p. 22. lin. 5. ipse apertè cõfitetur. De posteriore autem, quia hoc vt docui in initio hujus paragraphi asserit expressè, nec negat vsquam nisi indirectè.

Parag. 3 solvuntur tres obiectiones quæ ex Deut. 24. 4.

His ita positis, proximum est vt *Pyi* & aliorum obiectiones contra sententiam *Howsonianam*, (qui Mosaicam divor-

afferuntur vt probetur permissionem Mosaicam de repudio non esse concessionem, sed meram tolerationem.

tij permissionem asserit non fuisse *tolerationem*, sed *concessionem*) breviter proponantur & perpendantur. Ex loco *Deut.* 24. varia contra hanc sententiam adducuntur. *Primò* quod videatur loco isto *Deut.* loqui Mosem de causis divortij levioribus, quod si ita esset, certè indignissimum esset ita Mosem interpretari ac si omnes eas causas probaverit, aut a peccato exemerit. Quid enim indignius quam legem Dei, vel imperfectam illam, laxare libidinibus fræna magis quam lex Romuli fecerit? Eadem suppositione, (& idcirco ab ista obiectione minimè separanda) nititur ratio illa Gregorij de Valent: quam in tractatu de insolubili vinculo vnicam affert pro sua contra nos sententia. *Iudæi* inquit *de recepta apud ipsos consuetudine*, &c. Cum, inquit, controversia esset de consuetudine Iudæorum tunc in vsu, certè responsio Christi intelligenda, vt doceat non modo quid in posterū liceat, sed quid hactenus licuerit. Ergo quod dicit Christus *Nisi ob fœrtationem*, etiam de præterito dicit alias causas illicitas. Vnde (si quidem verū sit, quod supponunt Mosem de alijs causis locutum) sequitur causas de quibus Moses locutus est illicitas esse. Sed nos suppositionem istā negamus: Nec de ea opus hoc loco disputare, cum in ijs quæ sequuntur, ferè nihil aliud agatur. Tantum hoc loco notetur de ijs qui Mosem de levioribus causis interpretati sunt, mirandum potius quod tam multi concessionem fuisse confiterentur, quam quod quisquam meram fuisse tolerationē diceret. Alterum enim, cum falsum illud fundamentum semel supposuissent, et ita se in tam inextricabilem difficultatem conieciissent, nisi veritate planè cogente, nunquam dixissent.

Secundum ex eodem loco *Deut.* illud est quod dicitur v. 4. *Ne tag, permittito vt peccet terra quam Deus dat tibi.* Quibus verbis videtur notari non modo peccatum esse in hujusmodi repudijs, sed tale peccatum vt terram polluat, vtq; tolerantia ista præsentis solùm temporis esse dicatur, dum tenderent in terram promissionis, in futurum autem minimè proroganda. Sic enim *Iunius* hunc locum interpretari

videtur

Ne peccare facias terram. 24. 4. Deut. non est facere eam mæchari.

videtur. Respondeo alium esse huius loci interpretẽ *Iunio*, etsi doctissimo, præferendum, Ieremiam prophetam; Qui c. 3. v. 1. ad hunc locum respiciens ita loquitur, secundum translationem *Iunianã*. *En dimiserit quis vxorem suam, & illa profecta ab eo, nupserit viro alteri, an reverteretur ad eam vir suus? Nonne omnino contaminaretur terra? Tu vero quãvis scortata sis cum multis, tamen reverteris ad me.* Quis non videat hoc loco illud *terram contaminatum iri* respicere ad istud, ne peccare facias terram? (Sic enim est ad verbum in Hebræo, non *populum terra*) ita vt eodem modo vtrumq; capiendum sit. Ideoq; cum apud Ieremiam ista contaminatio terræ sit non in secundis nuptijs, aut repudio (vt loci circumstantiæ clarè loquuntur) sed in reditu ad priorem maritum. Similiter & apud Mosem capiendum: Vt dum prohibet ne peccare facias terram, nec repudium, nec secundas nuptias, sed reditũ ad priorem maritum execretur.

Similiter & ad *Tertium* quod ex hoc loco vrgetur, quasi repudium aut secundæ nuptiæ hoc loco dicantur res abominanda: Cum hoc, vt & illud de quo iam diximus (vtrumq; enim eodem modo capiendum) de reditu ad priorem maritum intelligendum sit. Id quod ipse etiam *Iunius*, vtcũq; in annotationibus aliter habeat, certe in analytica Pentateuchi explicatione confiteri videtur. *Duæ*, inquit, *causæ cur non rediret: Vna quòd facto viri illius acciãt vt illa macharetur: Altera quòd hoc facto* (scilicet reditu ad priorem virũ vt ego interpretor) *publicum oneraretur peccati crimine, & exemplum illud multis aperiret ianuam, divortijs temerè faciundis, quod in domo Iehovæ planè est intolerabile.* His verbis nisi de reditu in posteriore causa locutus fuisset *Iunius*, non dixisset oneraretur sed oneratur, vt supra non dicit accideret, sed accidit.

Parag. 4. proponitur 4 obiectio ex interpretatione vocabuli pollutionis (quod eodem Deut. loco habetur) petita, & contra istam interpretationẽ, cui a tanti eã facit Pyus, decem rationes afferuntur.

Quartum ex eodem hoc loco (quod quia à *Pyo* sæpissimè, etsi locis alienioribus obijcitur diligentiùs videndum erit) illud est, quod mulier repudiata iam postquã alteri nupsit, dicitur per factum viri prioris cum eam repudiaret, *polluta* esse. Id est (vt putat *Pyus* & alij non indocti) *adultera*. Sic enim, inquit, *Num.* 5. 13. 14. hoc pollutionis vocabulum acci-

accipitur, ita vt illud Seruatoris *πλὴν λόγου πορνείας* nihil sit nisi translatio & explicatio phraseos Mosaicæ. Si hæc interpretatio vera sit, sequetur necessariò secundas repudiatæ nuptias adulterium hoc loco dici, ideoq; etiam repudiationẽ ipsam (vt colligit *Pyrr.* p. 22.) ne secundum Mosem quidem licitam aut concessam fuisse. Sed nos falsã esse illam interpretationem contendimus. *Primum* enim per illam interpretationem maritus vxorem extra causam adulterij repudians, nõ faceret eã mœchari ante initas ab ea 2das. nuptias (in eo enim quo dicitur *postquam*, vt non male *Pyrr.* p. 14. notatur ante. 2das. nuptias hanc causam nõ fuisse) at Seruator dicit maritum qui extra causam adulterij vxorem repudiat, iam inde ab ipsa repudiatione reum esse huius criminis. *Secũdo*, qui repudiãt vxores extra causã adulterij, etiã antequam illæ alijs nupserint, secundũ Seruatorẽ, faciunt eas mœchari, at quamdiu innuptæ remanent vel ipso *Pyrr.* fatente. p. 14. licet eas recipere quas fecerunt mœchari: Et per consequens non est idem facere mœchari, & facere pollui, cũ non liceat eas recipere quas fecerũt pollui. *Tertio*, Si quidem Patrum polygamia adulterium erat, (quod certè, nec id prorsus absurdè putat *Pyrr.*) etiam Sara fecit Abrahamũ mœchari; & fortè etiam extra controversiam (siquidẽ *Bilha Iacobi* vxor non erat) *Rachel* fecit *Iacobum* mœchari, cum tamen ipsa rectè cum eo postea consueverit. Imò verò si quis vxoris suæ leno esset, in lenocinio quidem peccaret grauissimè, in recipiendo autem vxorem etiam resipiscentem ita eum peccare, vt abominandum sit, & terra ipsa polluatur, quis dixerit? At istud certè Mosaicum, facere vxorem pollui tale est, vt non modò à marito iterum recipienda non sit, sed ipsa etiam terra si reciperetur contaminaretur, resq; planè abominãdi esset. *Quarto*, ex Hebræorũ doctissimorũ sẽtentia (vt apud Sanctẽ in dictione *Tamâ* citatur) constat eam quæ post repudium fornicata fuerat, modo nondum cũ quoquam iustum matrimonium aut sponsalia contraxerat, recipi à priore marito potuisse. Atqui si facere pollutam hoc loco significaret facere mœcham, cum post pollutionem istã reditus

reditus ei negetur, etiã post fornicationem istam interclusus esset: vt cuius non minus reus esset iniustus repudiator, quam illius fornicationis quæ in secundo matrimonio committeretur. *Quinto* scimus, istud, q̃ maritus prior esset qui faceret eam mæchari, iure quidem naturæ (in quo fundari videatur huius legis ἀιτιολογία) non impedire, sed adiuvare reconciliationem. Aequum enim vt apud me excusatior sit, qui me auctore, quam qui sua sponte contra me peccaverit. Ita si istud *facere pollui*, idem sit quod facere mæchari, certè nihil amplius contra reconciliationem (imò multo minus) dicit Moses, quam si dixisset postquam *mœchata est*. At extra omne dubium est, istam verbi Hebraici coniugationem, quâ causa pollutionis etiam ad virum refertur, ideò hic adhibitam, vt maior causa interdictæ reconciliationis notaretur. Quãquam si hoc ita non fuisset, tamen perinde prorsus esset, cum adulteram resipiscentem recipi liceat: ideoq; vis rationis quæ reconciliationem præcludit, in eo tantũ, quod iam adulterium commiserit, collocari nullo modo debeat. Ad *istas* rationes addere poterit qui volet, quod ex exemplo Davidis Bersaben in vxorem ducentis, videatur licere homini ducere, ideoq; & recipere eam quam ipse ante fecerat mæchari. Vt istud *postquam per eum factum est vt polluereturcum* causam interdictæ reconciliationis contineat, idem esse non possit cum illo, *postquam per eum factum est vt mœcharetur*. Etsi enim æquissimũ sit vt Ecclesiasticis Canonibus matrimonium inter eos qui se olim adulterio polluerãt prohibeatur: non tamen ex eo probatur idem lege Mosaica prohibitũ fuisse. Certè Augustinus, li. 1. de Nuptijs & Concupisc. c. 10. ne sub Evangelio quidem istud illicitum putat: *mortuo* inquit *eo cum quo fuit verum coniugium, fieri potest coniugium cum quâ prius fuerat adulterium*. Nec videtur sanè quod David iam tandem serió resipiscens, retenturus fuisset Bersaben, si Nathan de hoc quoq; (vt volunt) 2. *Sam.* 12. v. 10. eum reprehendisset. Nã quod rationem afferunt, quia oportuerat adulterum vtrumq; morte damnari, ideoq; inter eos matrimonium contrahi nullo modo posse: certè hoc q̃-

recipere,

què probat nō licere nec marito adulteram resipiscentem, nec repudiatæ ob adulterium, post maritum alteri matrimonio copulatum, ipsi cum altero contrahere nuptias: Querū tamen neutrum ne ipsi quidem asserunt. *Quanquā*, si quod res est loquemur, secundum eos ex quibus *Pyrus* suam huius vocabuli interpretationem desumpsit, nullo modo adulterij insimulandum erat huiusmodi repudiatæ mulieris nouū coniugium. Quid enim quæso repudium istud dicent esse nisi *desertionem obstinatam*? At in huiusmodi desertionibus ipsi asserunt licere parti innocenti secundum coniugium inire. Videtur quidem Seruator huic eorum sententiæ contradicere. Si enim desertio obstinata 2*dū*, cōiugiū iustificat, certè & repudium saltem aliquod, etiam sine causæ respectu hoc faceret. Aliqua enim huiusmodi repudia ab obstinatis desertionibus distingui nequeunt. At repudium quatenus repudium, id est in suo genere, & sine causæ respectu omnino nullum posse eiusmodi esse vt 2*dū*. coniugū iustificet, videtur quidem ipse Seruator satis disertè docuisse.

Sed hoc loco illud tantùm vrgemus, *Pyrum* si quidem suorum auctorū sententiæ stabit, non posse 2*das*. illas nuptias, de quibus loco isto 24. *Deut*. agitur, adulterij condemnare: Cū repudiatio etsi ob nullam causam fuerit, possit eiusmodi esse vt obstinata desertio dicenda sit, quę iuxta *Pyrum* auctores, etiā sub Euāgelio 2*das*. partis innocētis nuptias iustificat. Imò verò vtcunq; istud de desertione se habeat, tamen mulieris, stante politia Mosaica, iuxta eius præscriptū, repudiatæ coniugium novum, gravius crimen non erat; quā simplex fornicatio. At certè omniū consensu, ei qui mulieri simplicis fornicationis causa extiterit, nullum inde impedimentum erit, quin cum eā matrimonium contrahat. Ergo nec huic repudiatori, ex eo quòd huius culpæ vxori causa erat, vllum hinc impedimentum quo minus eam recipiat: Ita cum in eo *facere vt polluatur*, causa sit impediens reconciliationem, certè non est idem facere vt polluatur & facere vt scortetur. *Ad illud* enim quid respondebitur, quod istud facere vt scortetur, in marito a Seruatore (id q; meritissimè)

repre-

reprehendatur, hoc autem loco si dicetur facere vt scortetur potius significetur (id ☞ a sanctissimis scripturis longè absit) vt vlterius faciat eam scortari? Nam certe eã quæ nubendo alteri adulterium committit non recipere, (non minus quam ejcere) est facere eam scortari. Et hoc loco proculdubio istam mulierem iubetur maritus non recipere.

Ad hæc (quo nihil magis indignũ Dei verbo) per interpretationem *Pyanam* maritus prior, quia fecit eam scortari, ideo etiam vlteriùs hoc facere iubetur. Siquidem non recipere istam repudiatam (si *Pyo* credimus secundum quẽ iniustè dimissa est) est facere eam scortari, & secundum eundem *Pyum*, facere vt polluatur, est etiam facere eam scortari. Ita cũ eam de qua hoc loco loquitur Moses, maritus prior ideò iubeatur non recipere, quia iam per eum factum est vt polluatur: Certè secundum *Pyum* iubetur ideò facere eam scortari, quia iam ante fecit eam scortari.

Parag. 5. fol. 8 tur quæ pro interpretatione predicta afferuntur, & exponuntur tres aliæ interpretationes meliores. Ex quibus quamcunq; elegerimus, nihil magni incommodi sequetur.

Ad auctores quos *Pyus* suæ interpretationis laudare poterat, ignorare sanè nemo potest, qui in Cõmentatoribus mediocritèr versatus est, complures esse & doctrina saltem æquales, & antiquitate & numero longè superiores, qui *Pyanam* interpretationem nunquã agnoverunt. Nam si Christum ipsum *Matt.* 19. aut 5. auctorem nominat, quod & in Epistolâ ad *Gentilem* facit, & in libro excuso, p. 27. facere videtur, mera certè petitio principij est: Sumit enim id ☞ vel præcipua in quæstione positum est, Christũ in illo *Nisi ob fornicationem* non interpretari illud Mosaicum, *Quia invenit* in ea nuditatem rei. Ad locum *Num.* 5. 13. vbi negandũ non est quin vox Hebræa eiusdẽ radicis pro adulterio vsurpetur, quemadmodum alibi quoq; nonnunquam: Id quod etiam ante *Pyum*, *Howsonus* p. 12. lin. 1. notaverat. Respondemus, *Pyum*, si id tantũ vult, vocabulum istud, vt genus pro specie, aliquando poni pro adulterio, prorsus nihil agere: Sin autem semper hoc sensu poni vult, aut loco illo *Num.* 5. ita vsurpari, vt similitèr hic quoq; exponi debeat, planè desipere. Habemus n. caput vnũ *Levit.* 15. vbi eiusdem radicis Hebrææ coniugata plus trigesies de ijs rebus

rebus dicuntur, quas *Pyus* ipse, non dico si quid intelligit, sed si suo iudicio stabit, quod p. 20. expressit, *adulterij reas* minimè citabit.

Sed si reijcienda interpretatio *Pyana* de isto, *postquam per eum factum est vt polluatur*, quã tandem sequemur aliam meliorem? Videntur enim cęterorum interpretationes incommodis ęquè gravibus laborare: Imo vero alitèr se res habet. Tres hujus locutionis interpretationes proponam, quarum vnaquæq; a prædictis incommodis omnibus libera erit & immunis. Etsi nonnullis quidẽ vna, nonnullis altera, nõnullis tertia forte magis placeat. Quamlibet eligat *Pyus*. Ad primam (in qua etiam intelliget non fuisse causam, cur illam *Iohannis Doni* interpretationem huius locutionis in concione Paulina propositam, ita vt facit. p. 11. indignè irrideret) septem quasi explicationis nostræ particulas attendat.

Ac *primum* quidem non negabit credo coniugationi Hebraicæ nullam fieri iniuriam, si legamus *postquam declaratum est eam pollutam esse*: Sic enim dicimus iustificare aliquando esse facere iustum, aliquando declarare seu pronuntiare iustum. *Deinde* etiam dabit, illud *per eum* cum dicitur, *postquam per eum factum est vt pollueretur*, etsi probabilitèr intersertũ sit, non tamen in Hebræo esse: vt ex vi vocis Hebrææ non minus probabilitèr exponi possit, *postquam per vtrosq;* quam *postquam per alterum* declaratum est eam pollutam esse. His duobus positis, tertium potest dari *Pyo*, vt pollutio hoc loco adulterium notet. Sed addendũ *quartum*, vt adulterium notetur, non quod in 2do. coniugio post repudiũ committeretur, (hoc enim vel in prioribus satis refutatum est) sed quod in priore coniugio causam repudij fuisse hoc loco dicimus, & in sequentibus probandũ erit. His positis teneatur & *quintum*, maritum quidem per libellum repudij quod ad se attineret declarasse vxorem adulteram, mulieri tamẽ adhuc relictũ effugium. Provocare enim poterat ad magistratum, & negare legitimã fuisse causam repudij: At postquam alteri nupserat, videtur ipsa repudium approbare, ideoq; non antequam alteri nupserat dici poterat declaratũ

eam

eam adulterã fuisse, sed restat adhuc *sextum* ad ista adijciendum. Quæri enim potest cur ista declaratio adulteræ reditum ad priorem maritum impediret, cum adulterium ipsum nisi ita declaratum, reditum ad eundem non impediat: cumq; ne ita quidem declaratum impediat, quin post secũdi viri obitum tertio nubat. Respondeo æquum hoc esse: *Primo* quia longè maius scandalũ est. Viderentur enim nimis familiaritèr dissidium exercuisse: cum mulier penè præ se ferens, se adulteriũ cõmisisse, idq; facto tã gravi & irrevocabili, deinceps a viro reciperetur. *Secũdo* quia in ista declaratione, vt supra dictum est, quædã est ex parte vxoris approbatio repudij, vt ita iam vtriusq; consensu firmum repudium, irritum fieri ac revocari minimè debeat. *Nam* si illud vrget *Pyus*, supponi in hac lege mulierẽ repudiatã & secũdò nuptam non esse mortis ream, futuram autem in declaratione adultetij ream mortis: Respondeo, in manifesta & directa declaratione hoc ita se habuisse, in ista autem indirecta & per consequens, quod aliquando potuit fallere non item. Alioquin etiam & repudiata secundum *Pyum* (etsi non ob adulterium repudiata esset) si 2. nuberet morte plectenda esset. Dicit enim has nuptias adulteriũ esse: sed quia non est directum aut manifestum adulterium) quanquam hoc quoq; temerè asserit *Pyus*. p. 39. mæchus, inquit, fuisset manifestarius) ideo morte mulctandam non fuisse, nisi fallor, confitebitur.

Altera interpretatio est vt pollutam interpretemur viri prioris respectu pollutam, id est ab eo separatam, non quidẽ legali aliquâ Ceremonia, sed ratione voti seu promissi, quod a viro quidem in ipsa forma repudiationis fuit conceptum (in cuius forma erat, teste Iosepho, Antiq. l. 4. c. 8. Promitto tibi quod nunquam tecum conveniam, γράμμασιν, inquit, τοῦ μηδέποτε συνελθεῖν ἰσχυριζέσθω) à muliere autẽ simile votum aut promissum intelligitur conceptum, cum per secundas nuptias supponitur repudium ab ea approbari: ita non ante secundas nuptias mulier facta polluta, id est, facta plenè separata respectu sc. prioris viri, & ab ea nõ

Facere pollutam poteſt exponi facere eam ſibi non attingendam.

attingenda videatur: his autem ſecundis nuptijs initis, & ita libello repudij vtriuſq; conſenſu confirmato, iam tandem hoc prorſus impleri non malè exiſtimetur. Nec difficile vt deus qui hoc indulſit, modò integra fide, & ſine revocatione (vnde ingentes confuſiones ſequerentur) fieret, graviter & indignè ferat, ſi per levitatem & inconſtantiam, quæ idem modo velit, modo nolit, res tãta ſuſq; deq; habeatur. Nec ignorant ſanè qui Hebraica guſtarunt, vocabulum polluti, ſeu immundi, & ſeparati, ſeu non attingendi, promiſcuè vſurpari. *Levit.* 15. v 19. de immunda muliere, ſeptem dies erit in ſeparatione, & omnis tangens eam immundus erit: & v. 26. cubile ſeparationis, id eſt, immunditiei. Iudic. 13. 4. Ne comedas quicquam immundi, dictum vxori *Manoe* quæ *Sampſonem* paritura erat, non vt interdiceretur ei ne quid eorum, quorum eſus vulgò profanus habebatur ederet, hoc enim iam omnibus *Levit.* 11. prohibitum fuerat, ſed (vt ex *Rabbi Joſepho* interpretatur *Iunius*) de alijs quoq; prohibitis cibis intelligendum, ijs ſc. qui *Nezireis* ex lege *Num.* 6. 3. prohibiti erãt. Hinc eſt quod apud Hebræos duo verba contraria *Sanctum & immundum* (vt apparet *Deut.* 22. 9. & alibi) promiſcuè, quemadmodum & apud Latinos *Sacrum*, in vtramq; partem capiantur. Quia ſc. in communi notione ſeparationis conveniunt, vnde & græcum ἀνάθημα ad vtrumq; pertinet: Hinc quoq; quia ſeparata ſecluſa erãt, etiam immundũ pro clauſo apud Eſaiam poni videtur. c. 6. v. 5. vbi Propheta dicit quia vir immundus labijs, id eſt, (vt ex quorundam interpretatione apud *R. Davidem* commemoratur) quia clauſus labijs ſum. Vnius certè verbi Hebræi coniugatis vtitur Scriptura in hiſce omnibus locis. Et ijſdem planè affine eſt vel potius alterius ordinis (vt notat Marcerus) idẽ verbũ, quod obthurare & claudere ſignificat. Nec obſcurè indicat ſcientia, nihil magis pollutioni convenire, quam ſeparationem, cum *Leu.* 15 31. dicitur, ſeparate filios Iſrael ab immunditie ſua, id eſt, ab ijs rebus quibus immundi reddantur. Et *Hez.* 6. 21. Omnis qui ſeparavit ſe ab immunditia gentium. Certè hoc loco 24. *Deut.* ex doctiorum

tiorum Hebræorum ſententia, pollutionem poſitã pro prohibitione ſeu ſeparatione indicat Sanctes in radice *Tãmã*, ex *Rabbi Ios. Kimhi*. &(vt dicam quod ſentio) etſi contra priorem interpretationem, quid excipiatur non ſatis videam, in iſta tamen poſteriore libentiùs acquieſco:

Tertia interpretatio, ne illa quidem ſuperioribus minus probabilis, vt mulier repudiata, per ſecundas nuptias dicatur facta iam pollut*a* (ſupple viri prioris reſpectu) id eſt facta ei ſordere, vt cui per ſecundas haſce nuptias iam planè renuntiaverit, & cujus jam deſiderium penitùs depoſuerit; Vnde poſt tã graue & inexpiabile vtriuſq; diſſidium, ſi iterum ad priorem virum rediret, videatur facilè fore, vt veterem in exulceratis animis cicatricem quævis occaſio refricaret: Et ſic vterq; alterum, & præcipuè maſculus fæminã quotidie vexaret; Id quod Deus coniugij & pacis auctor, præterquam quòd homicidia inde facilè oriantur, etiam aliàs execratur, & pro abominando habet: vt qui coniugem a coniuge honorari (vt eſt 1. *Pet.* 3.7.) ſemper poſtulaverit. Sed de obiectione quæ ex vocabulo pollutionis quo vtitur Moſes *Deut.* 24.4. petitur, hactenus dictum.

Parag.6. proponitur Quinta obiectio, & ſolvũtur tres rationes quæ ad eiuſdem cõfirmationem a Pyo afferuntur, & interſeritur etiam ad rationem Quartã quam Pyus non notavit, reſponſio idonea.

Quinta obiectio contra iſtud quod dicimus, permiſſionẽ Molaicam de repudio non fuiſſe meram tolerationem, ſed etiam conceſſionem, ex eodem loco deprimitur *Deut.* 24. & autoritate *Iunii* & *Vatabli* commendatur, quorum vterq; tres primos verſus ita legunt, ac ſi in ijs nihil ſanciatur ſed ad ſingulas clauſulas coniunctio *Cum*, aut *Si* ſubintelligenda eſſet. Nam ne illud quidem, v.1. ſcribat ei libellum repudij, imperativè legunt, ſed ſubiunctiuè, vt ſententia ſit, ſi quis vxorem duxerit, & poſt oderit eam propter aliquam turpitudinem, & libellum repudij ſcripſerit, & ei in manum tradiderit, & ita deinceps per facti ſuppoſitionem vſq; ad v.4. Hæc ſi vera & genuina eſt huius loci tranſlatio, certè minimè hoc loco conceſſum, aut iuſtificatum vllum repudium dicendum. Verã autem & genuinã eſſe cõfirmat *Pyus* p.35. ratione triplici. Prima, quia verba illa *ſcribet, dabit, dimittet* cũ ijſdem accentibus v.3. & 1. notentur, etiam vtrobiq; eodẽ

modo interpretanda videntur, Itaq; cum v. 3. hypothetice capienda sint, etiam v. 1. similiter capienda putat. Vitia huius argumenti *quatuor* sūt eminentia. *Primū* enim falsum est quod supponit hæc tria verba eosdem habere accentus. v. 1. & 3. siquidem hoc loco totum illud dimittat è domo sua pro tertio verbo sumendū est. Loquimur enim de accentibus non qui singulis vocibus inserviant, sed qui sententiarū clausulas distinguant, (ex his enim, non ex illis argumentū perfectæ aut imperfectæ sententiæ petendum) talis autem verbi alicuius accentus dicendus, non qui ipsi appingitur, sed qui postremæ voci eiusdem clausulæ; ideoq; rectè negatur verbum *dimittat*, seu *dimittat è domo sua* eodem distinctionis accentu vtrobiq; notari. Siquidē, v. 1. hæc clausula distinguitur per *Silluk* accentum valentiorem, vt notetur perfectior sententia: v, autem *tertio* per *Athnach* accentum minus valentem, vt notetur suspensa & imperfectior sententia. *Secundum* vitium est, quod cum quæratur de perfectione aut imperfectione sententiæ distinctione, & ad hoc pertineat non modò distinctio clausulæ ab ijs quæ sequuntur, sed etiam vel maximè ab ijs quæ præcedunt, observavit *Pyn* tantum distinctiones ipsi clausulæ appositas, id est, eas quæ eam à sequentibus distinguant: eas autē quibus a præcedentibus distinguatur, in quibus trium illorum verborum v. 1. & 3. evidens est diversitas, non observavit. In primo enim v. primum verbum sequitur accentum *Zakeph Katon*, in *tertio* autem v. idem verbum sequitur accentum *segolta*. *Tertium* vitium, quòd etiamsi omnes accentus syntactici, (id est clausularū distinctioni inservientes) quoquo modo ad hæc tria verba pertinentes, & 1. & 3. v. ijdem essent, *Pyn* tamen hoc totum nihil adiuvaret, nisi simul probaret horum accentuum potestatem nō esse communem, vt pro circumstantiarū ratione, vel perfectæ vel imperfectæ clausulæ inservirent: sed ita propriam, vt semper suspensam & imperfectam sententiam notarent. At qui istud *Pyn* noster non modo non potuit, sed ne tentavit quidem docere. Certè ex magistro suo & nostro *Francisco Iunio* contrarium

didicisset

didiciſſet, qui lib. 4. grammaticæ Hebrææ. c. 2. *vnum* inquit *obſervandum eſt, non rarò infirmiores accentus, cum ſcriptura loci habent evidentiam, in valentiorum locum ſuccedere; vel contrà, valentiores infirmioribus ſuffice. Quartum* denique vitium eſt, quod cum ex *Iunianis* in *Deut.* 24. annotationibus hoc argumentũ deſumeret (vbi dicitur *Hebraicis diſtinctionibus* demonſtrari tres primos verſus integros hypotheticè legendos) malè de eo quod *Iunius* voluit conijciens, dum id quod pro ſe (vt oſtenſum eſt) nihil facit, arripit: id credo, quod aliquid faceret, & de quo ſolo *Iunius* cogitaſſe videtur, quaſi minoris momẽti, homo imperitus harum rerum, præterit & ignorat. Quid hoc fuerit nequeo certum dicere, ſed ſi licet conijcere, *Iunii* niſi fallor, in diſtinctionum Hebræarum conſideratione id potius movit, vt putaret verbum *ſcribat*, v, 1. per hypotheſin cum priore clauſula continuandum, quod videret hoc verbum per infirmiorem accentum à priore clauſulâ diremptum, *zakeph katon* enim accentus infirmior eſt quã *Athnach*. At in præcedentibus videtur hypotheticè continuari, etiã quod per *Athnach* dirimitur. Ita vt multo magis iſtud quod infirmiore accentu præcedente dirimitur, ſimiliter continuandum videatur. Hoc puto id fuit, quod *Iunium* præcipuè movit: maius fortè quam de quo *Pyus* noſter ſomniat. Nã quod in analytica explicatione Pentateuchi, vnicum pro hac ſua lectione affert, quod, vt docet *Kimchi* in priore parte *Miclol*, contra naturam ſit Hebræi ſermonis, vt præteritũ per imperativum reddatur, quid eum hoc loco adjuvet, alij viderint. Certo enim certius eſt, & præteritũ ſæpiſſimè poni pro futuro, quod etiã imperativè (vt in præceptis Decalogi) ſæpiſſimè ponitur: & ipſum quoq; præteritum cũ ponitur pro futuro vim præcepti habere, vt ex *Deut.* 22. v. 22. & 28. *Pyus* noſter, p. 34. ingenuè confitetur. Sed ad alterum illud de *Athnach*, & *zakeph katon* reſponderi certè poteſt. *Primum*, accentuum rationem non poſſe iſtud poſtulare, quia conſtat *Maſoritas* annis poſt Chriſtum plus quadringentis accentuum auctores, aliter hunc locum interpretatos. In ipſa enim forma repudij Iudaici, quæ pro-

cul dubio ex doctorum Hebræorũ traditione desumpta est, ista dimissio per libellum repudij (vt in commentarijs *Vatabli, Chytræi, Munsteri* & aliorum videre est) dicitur esse constitutio Mosis & Israël. At Mosaica certè constitutio, si per facti suppositionem in tribus hisce versibus omnia suspendenda sunt, nullo modo esse poterit. De Rabbinis autem, (vtcunq; Illyricus in Clavi script. part. 2. aliter sentiat) eorum auctoritate accentus & vocales consonantibus appositas, copiosè in secunda parte suę grammaticæ quã τεχνολογίαν vocat probat Martinius. *Secundò*, ne accentuũ quidẽ illa ratio prædicta istam in 1°. *v.* hypotheticã cõtinuationem flagitare videtur. Vt enim alia exempla omittãtur, inspiciantur *v.* 2. & 3. *Deut.* 7. vbi apparebit in *v.* 3. *Athnach* plus distinguere quam in v. 2. ipsum *silluk*, cujus tamen accẽtus potestas plerunq; valentior est quam *Athnach*. Eodem etiam *v.* 3. apparebit accentu *zakeph katon* perfectiorẽ sententiam notari, quã quæ accentu *Athnach* immediatè præcedente distinguitur. *Tertiò*, vt ne id quod planè præcipuũ est prætereamus, quod in hac objectione pro fundamento supponitur, planè negamus, nempe nostram lectionẽ plus tribuere infirmioti accentui. Post priorem enim clausulam, *Si acceperit homo vxorem & maritaverit eam*, quæ clausula per *Athnach* à sequentibus distinguitur, non legimus illud *vẽhâiâh, fueritq;* vel si fuerit, sed *tunc esto* si non invenerit gratiã, &c. Nec necesse vt illud *scribat*, per accẽtũ æque valentẽ a verbo ipsum immediatè precedente distingueretur, atq; illud *tunc esto*, ab ijs quæ ipsum precesserãt, distinguitur. Mãca enim in illo *tunc esto*, relicta fuerat sententia, & quod sequitur per Parenthesin interseretum, *tunc* inquit *esto, Si non invenerit gratiam &c. Scribat.* &c. Ita quia ex Parenthesi festinantèr redeundum est ad priorem sententiã, infirmiore accentu istud notandum erat. Sed vt ad alia transeamus.

Secundum argumentum *Pyanum* quo istam hypotheticam continuationem astruit, tale est. Continua (inquit) est verborum per *vau* copulam connexio vsq; ad illud, & *Odevs* initio, v. 3¹. *Ergo* cum istud positum sit pro *si oderit*, etiam priora

priora similitèr intelligenda. Cõsequentiam ex eo confirmat quod si in prioribus non subintelligitur particula conditionalis, hic vbi subintelligitur, certè exprimẽda fuisset, vt quæ sub finem hujus v. 3. vbi minùs necessaria expressio fuit, exprimatur: cũ dicitur, *aut si moriatur*. Respondeo cohæsionem per *vau* copulam non satis esse, cur aut ad nullũ aut ad singula verba subintelligenda esset cõditionalis particula. *Deut.* c. 8. à *v.* 12. vsq; ad *v.* 19. plurima verba per *vau* copulam cohærent continuè, quorũ prioribus prohibitio, quæ tantum v. 12. notatur cõmunis est: vt sententia sit, *Ne eleves cor, v.* 14. *Et ne dicas cum animo tuo, v.* 17. versu tamen, 18. vbi verbum similitèr per eandem copulam cohæret prioribus, non est *prohibitio* sed *mandatum*, ijs quæ supra prohibita erant oppositum; vt ibidem rectè legit cum ceteris interpretibus *Iunius* noster. *Sed* cur ergo, inquit, in fine versus, vbi minus erat obscuritatis periculum, exprimitur conditionalis particula? Ideo certè vt etiam ab initio hujus sentẽtiæ (quæ forte à versu 2°. inchoanda est) subintelligẽda notetur. Sic enim solent Hebræi per particularum in posterioribus clausulis expressionem, earundem in prioribus ellipsin indicare. Ionæ, 2. 3. *projecerat me profundum in cor maris*: id est, in profunditatem, in cor mariũ.

Tertium argumentum *Pyaunm* facilè sua tenuitate per se ipsum evanescit. Αιτιολογία (inquit) *legis, versu* 4. *ad prohibitionem versu eodem expressam, tota collimat*: Ergo *lex aut sanctio in his quatuor versibus alia nulla est*. Quasi verò cum duæ sint sanctiones, *altera* cujus ratio clarior, *altera* cujus ratio obscurior est, obscurior exponi non possit, nisi etiam clarior exponatur. Sed de ista tota objectione qua permissionem Mosaicam loco illo *Deut.* non esse concessionem ex eo disputant, quod tres primi versus integri legendi hypothetice sint, ista dicta sufficient. Aliæ enim confirmationes, quas pro ista hypothetica lectione afferunt, quia æquè aut magis probant non esse concessionem, & ita tandem ex eo concludunt locum hypothetice legendum, partim quidẽ maximam in quatuor primis objectionibus supra solutæ sunt,

partim

partim in sequentibus solventur. Rationes verò nostræ quibus probetur, illud *scribat libellum* non hypotheticè sed imperativè legendum, cum ad nostram sententiã de concessione Mosaica κατασκευαστικῶς cõfirmandam accesserimus, brevitèr indicabuntur.

Parag. 7. solvuntur aliæ obiectiones quibus probare nituntur permissionem Mosaicam de repudio non esse concessionem, sed tãtum toleration. Vbi etiã non levis Pyana negligẽtia circa Variabli testimoniũ ostenditur.

Reliquæ objectiones minoris probabilitatis facile solvẽtur. *Sexta* obiectio in annotationibus *Iuniavis* in *Deut.* 24. 4 innitur: vbi notat interpretandum Mosem ex lege naturæ *Gen.* 2. 24. ita vt huic legi consentiat; ideoq; illud ver. 1. *scribat libellum*, hypotheticè capiendum pro *si scripserit, &c.* cum alioquin hoc loco Moses id permitteret, quod vt legi naturæ contrariũ a Servatore *Matt.* 19. reprehenditur. Eãdem in sententiam loquitur *Pyus* noster, p. 26. & 27. repudiationẽ Mosicã esse a lege illa naturæ deviationem & deflexionem quandã, nec solum per Christũ, sed per ipsum etiam Mosem hoc loco *Deutronomẏ* eam ad τὸ ἀπ' ἀρχῆς, ad legẽ naturæ revocari & examinari. Addunt alij ad huius obiectionis confirmationem, quod contra præcepta naturæ dispensatio *universalis* nulla sit, sed tantum *personalis* & singularibus temporibus definita. Vt Abrahamo tum cum iuberetur, si filium occidisset, peccatum non fuisset. Similitèr nec Israelitis fraudare creditores generalitèr licuit, sed cum specialis esset ijs in egressu ex Aegipto huius iniuriæ faciendæ concessa licentia. Addunt quæ ob duritiem cordium mala permittuntur, tantum ad maius malum vitandũ permitti. Ad minoris autem mali iustificationem parũ esse quod per ipsũ efficiatur, vt maioribus malis careamus. Quẽq; ob duritiem cordium permittuntur ea nõ posse nisi eâ causã ob quam permittuntur excusari. Absurdum autem dicere quicquam nostrarum actionum duritiã cordium nostrorũ excusari. Tum & à Christo dici non Deum, sed *Mosem* hoc permisisse, quasi Moses istud indulsisset, vt Legis-lator politicus, non vt cõscientiarum Arbiter. Ad hęc, cum vir & mulier in causa divortij iudicentur ad paria (vt loquuntur Scholastici & Iuristæ) mulieri autem virũ repudiare nunquam per Mosem licuerit, ne viro quidem istud secundũ

Mosem

Moſem licuiſſe contendunt.

Reſpondeo eos qui contrariam legem naturæ vrgent, nihil dicere, niſi probent conditorem legis naturæ, aut *non potuiſſe*, aut *noluiſſe*, iſto quo dicimus, modo diſpenſare. Nec ad hoc probandum ſufficit, quod non ita ſoleat. Fiunt enim aliqua ſine exemplo. Nec quia ob duritiem cordium hoc permiſit, ergo aut ſolâ mali vitandi, non autem boni etiam conſequendi cauſâ hoc permiſit: aut non etiam aliâ quoq; cauſâ adiuvante (propriâ ſcilicet miſericordiâ) hoc permiſit: Nec quod concedi dicimus, & pro peccato minimè haberi, idem ſtatim excuſari dicimus. Multo vero minus ad illud, quod miſericordia duritiei cordium noſtrorum parcens indulſit, defendendum, nihil niſi cordium duritiem ſuppetere quiſquam credo ſapiens dixerit. Quod ſupponunt forum Moſaicum non ſemper eſſe forum conſcientiæ, vt nimis temerarium à *Petro Martyre* loc. commun. claſſ. 2. cap. 10. ſect. 52. facilè reijcitur: quemadmodum & ſect. 60. eiuſdem capitis in lege Moſis (vtcunq; aliter ſit in Evangelica) maritis præ vxoribus privilegia indulgẽtiaſq; plurimas fuiſſe docet idem *Pet. Martyr*, & alij paſſim copioſè.

Quod ad auctoritatem attinet *Vatabli*, & *Iunij*, quos laudat *Pyus*, & aliorum nonnullorum quos laudare poterat, nudam planè & deſertam, ſubductis (vt hactenus factum eſt) rationis & ſcripturarum præſidijs, eſſe neceſſe eſt. Quãquam & alias mox auctoritates, rationeſq; contrarias opponemus. Et in *Vatablo* certè multiplicitèr lapſus eſt *Pyus* noſter. *Primum* p. 35. vbi de *altera trãſlatione Vatabli* loquitur, ſupponit homo nimis negligens, vtramq; illam tranſlationem, quæ cum Scholijs, vt præfert titulus, *Franciſci Vatabli* extat, ipſius *Vatabli* eſſe, cum altera ſit ipſiſſima vetus vulgata; alteri autem, (vt ex proœmio apparet) tantum immutationes quædam ex *Vatabli* prælectionibus, ipſo inconſulto, (vt profitetur Epiſtola,) ſubiectæ acceſſerint. *Deinde*, id quod gravius eſt, has duas trãſlationes in hoc loco Deutronomij, non tam re quam orationis ſerie dicit diſſidere; cum altera legat poſteriorẽ partem primi verſus abſolutè,

altera hypotheticè; ideoq; altera nihil nisi *tolerationem*; altera *concessionem* esse agnoscat'. Alioqui enim si perinde sit vtrovis modo legimus, cur eâdem illâ paginâ, 35, (vt ipsum ad *Gentilem* interpretatur) disputans vtrum permissio Mosaica *concessio* sit an tantum *toleratio*, nihil disputat nisi vtrum absolutè, an hypotheticè legenda sit posterior pars versus primi? *Postremò* cum Scholiorum *Vatabli* editio duplex sit; altera prior, cum duplici illa translatione quâ dixi, ipso inconsulto; altera posterior à *Roberto Stephano* excusa, *Bertino Vatabli* successore omnia subministrante, qui notas *Vatabli* ex ipsius ore collectas cum ipso communicavit; posteriorem istam editionem *Pyus*, vt videtur, non consuluit: Atqui quod in Scholijs editionis prioris disertè dicitur de versu primo, *non est hic sententia absoluta, &c.* in Scholijs editionis *Roberti Stephani* expungitur. Et quasi in re dubia, & quæ vlteriore deliberatione opus habeat, imo vero quasi eam trãslationem minus probaret, (*Vatabli* enim translatio non est) additur, quosdam ista versui quarto non coniungere, vertentes, *tunc scribet ei libellum repudij*. De obiectione ex *Malach.* 2. 16. in ijs quæ sequentur statim dicetur.

Parag. 8. explicatur ratio prima pro Howsoniana sententiâ, permissionẽ Mosaicam nõ esse meram tolerationem, ex eo concludens, quod legendũ sit *scribat ei*, non autem *si scripserit* &c. Vbi post triplicem consequentiæ cõfirmationem, antecedentis multiplex cõfirmatio subiungitur.

Iam vt nostræ quoq; sententiæ, qui in permissione ista Mosaicâ *concessionem*, non autem meram *tolerationem* intelligimus, rationes præcipuas, sed quàm poterit brevitèr exponamus. *Prima* nostra ratio duabus propositionibus cõstitutis absolvetur. *Prior* propositio, *Stillud* (*Scribat ei libellum &c*) *non est hypotheticè aut conditionatiuè capiendum, sed absolutè* (*ita vt planè & expressè prohibeantur vxores dimittere, nisi libellum repudij iisdem scribant & tradant*) *certè permissio Mosaica ista non est mera toleratio, sed eiusmodi concessio, per quam fiat, vt stante politia Mosaica non peccaret qui secundum huius permissionis præscriptum vxorem repudiaret, & alteram duceret.* Probatur ista propositio. *Primò* ex confessione non modo *Pyi* nostri inconstantis, sed etiam *Iunij*. *Pyus* enim has duas quæstiones, vtrum hypotheticè legenda posterior pars versus primi: & vtrum permissio ista toleratio sit, an etiam concessio, pro ijsdem habet, vt supra iam semel, atq; iterũ notavimus.

Iu-

Iunius autem annot: in *Deuteron.* 24. vt superiore parag. notavimus, supponit, si absolutè legendum esset, necessario non *tolerationem* fore sed *concessionem*; vnde quia putat absurdum, vt concessio sit, (id quod rationibus ad quas supra responsum est probare nititur) concludit non absolutè sed hypothetice legendum. *Secundo* ex eo prædicta propositio probatur, quod si legendum sit non hypothetice, sed absolutè, sententiam esse necesse sit, vt prohibeantur *Iudei* vxores vel ob nuditatem dimittere, *nisi* scribant & tradant ijs libellum repudij. At vero huiusmodi prohibitionē cum tali exceptione concedere Iudæis, vt liceat ob eam causam dimittere *si tradant libellum*, probabunt pro nobis illi omnes qui simili prorsus argumento, quia prohibemur dimittere *nisi* eam quæ scortata est, concludunt licere dimittere eam quæ scortata est. Nam si obijciunt *Deut.* 23. 20. prohiberi vsuram exigi *nisi* ab extraneo, nec tamen vnquam Iudæis licuisse vel ab extraneo: Respondeo, ex *Iunio* in eundem locum, in Hebræo esse extraneo *ijsi*, scilicet Cananæo, quē Deus excidio destinarat, ideoq; ab eo vsuram exigi cōcessit. *Deutronomÿ* quidem 21.13. prohibitio est ne quis captivā ducat *nisi* prius illa radat caput, alat vngues &c. nec tamen cōceditur (vt quidem videtur) cum tali muliere ne postquā ista quidem præstiterit legitimum coniugiū. Cur ergo *Deut.* 24. v. 1. ea erit quam diximus vis exceptionis, quæ tamen in isto loco *Deut.* 21.13. vim similem non habet? Respondeo, quia loco illo *Deut.* 24. nihil additur quod notet etiam illud, quod ex prohibitione excipitur illicitum esse: hic autem aliquid additur, vt in hunc locum rectè notat *Iunius*. Deinde si nihil additum fuisset, tamen ex *Deut.* 7. colligē. dum esset: vbi disertè & specialiter huiusmodi cōiugia prohibentur, vnde per *Esram* c. 10. v. 11. huiusmodi coniugia disolvuntur. Notandū autē hoc locō'rē alio modo se habere, cum quid prohibetur tantū in vniverso genere, vt repudium in septimo Decalogi præcepto prohibetur, alio autē modo cū specialitèr & disertè, aliquid prohibetur: vt *Deut.* 7. specialiter prohibetur coniugiū illud de quo agitur *Deut.*

21.13. Atq; hæc quidem causa idonea est, cur exceptio *nisi per libellum repudij*, concedat ob prædictam nuditatē dimittere, modo fiat per libellum repudij; quia scilicet dimissio ista nusquam specialitèr, sed tantū in vniverso genere prohibita est: cum tamē exceptio illa, ne *ducat captivam nisi radat caput, &c.* non concedat ducere, ne si illæ quidem ceremoniæ præstentur, quia eodem illo loco specialitèr de huiusmodi coniugio indicatur, & alibi specialitèr declaratur prohibitum & illicitum esse. *Atenim*, inquient, nōne Malachiæ 2.16. disertè & specialitèr prohibetur ista dimissio Mosaica? Vbi illud *si odio habeat dimittat* nonnulli interpretantur ita dictum vt illud ἐγγὺς πίρα δ' ἄτη, sponde sed adest malum; vt sententia sit, dimittat, sed obteget iniquitas, id est pœna iniquitatis vestimentum eius. Favet huic interpretationi *Hieronymus* in hunc locum, ita vt illud *dimittat*, non absurdè dicatur obiectio Iudæorum, ex *Deut.* 24. ad quam respondeat Propheta, Deum istud nō esse passurum impunè. *Iunius* autem (& magnâ certè cum ratione) adhuc planiùs contra Mosaicam repudiationem hunc locum interpretatur. Legit enim *sibi odio esse dimissionē aut Iehova Deus Israëlis. Nam eum* (id est quemq; Iudæorum) *operire violentiam* (scilicet suam contra vxores suas in ijs repudiandis) *pallio ipsius* sc. Dei, pallio, id est pretextu permissionis Mosaicæ. Respondeo. *Primo* quidem *Pyum* nostrum hunc locum cōtra nos vrgere nullo modo posse, vt quem p. 45. lin. 5. ita interpretatur vt contra hypotheticam loci Mosaici lectionē vel maximè faciat: vt in elencho monitorio quem calci harum commentationum subijciemus, explicabitur. Dissentit enim ab his interpretationibus *Pyus*, & ad aliorum sententiam accedit, quam infra sub finem huius commentationis exponemus. *Deinde Ariam* certè *Montanum* in Cōmentatio in minores Prophetas, aliam interpretationem non cōtemnēdam afferre, ita vt hoc loco Propheta de repudio nō loquatur. Sed quia adhuc præponderat *Iunius*, & (vt quod res est fatear,) in *Aria* interpretatione parùm acquiescot (vult enim sententiam esse vt dicatur odiū in vxores emit-

tere

tere se, & quasi emanare, & propagari, etiã supra vestimentum, id est, inquit, ita vt nullo pallio aut prætextu tegi possit, operire id est extare atq; eminere) admittatur sanè *Iunii* interpretatio: nihil sequetur nisi eiusmodi repudia vxorum, de quibus ibi loquitur Propheta, vxorum scilicet non adulteratarum, odio esse Deo, & frustra ijs prætexi permissionem Mosaicam. At qui illud totum confitemur, repudia huiusmodi invisa Deo, & lege Mosaica (quæ tantum permittit causam adulterij, quæq; alienigenas quarum causa vxores vexabant, & fortè repudiabant, duci diserte prohibet) defendi aut excusari nullo modo posse huiusmodi repudia concedimus.

Tertia prędictæ propositionis confirmatio omnis (nisi fallor) exceptione maior; quòd si absolutè legẽdũ istud *scribat ei libellum*, &c. certè aut iubet, aut saltem probat Deus, vt in dimissione maritus seriò profiteatur & testetur eam liberã esse, vt cui velit nubat. Hęc enim summa erat libelli istius. At Deum approbasse vt maritus hoc testetur & profiteatur, cum prorsus falsum sit, ne impius quidem facilè dixerit. Sed de ista re totà supra huius commentationis paragrapho *secundo* plura diximus.

Altera nostra propositio ad primam rationem absolvendam constituenda, ista est. *Posterior pars versus primi scribat ei libellum, &c. (ita vt in priore propositione supposuimus) absolutè legenda est.* Probat hoc. *Primò* contra perpaucos dissentientes, vehemens certè quidam torrens Translatorũ, & Interpretum exundans exercitus. Apud quos, vt notat *Carthusianus*, extra controversiam ponitur, duo esse circa libellũ repudij permissa, *repudiare priorem* & *alteram ducere*. Duo itẽ præcepta per libellum repudij, *vxorem repudiare* & *repudiatam non recipere*. *Probat* & ipsi *Pyo* (veritate superante contra id quod alibi negat) extorta confessio. Quomodo enim dicit, p. 20. *Mosem instituisse divortium non propter adulterium solum, si hoc traditionem libelli repudij instituit?* Quomodo, p. 55. lin. 26. permissionem Mosaicam de repudio, *emendatam imò sublatam per Christum docet*, si legendi hi versus per ejusmo-

di ſuppoſitionem, quæ nihil omninò ponat Moſaicum: ideoq; nihil omnino habeat quod emendationis aut abrogationis capax ſit? Quomodo etiam, p.45.lin.6. locum Malachiæ, 2.v.16. ita interpretatur, ac ſi beneficij loco, & in gratiam mulierum à maritis polygamis vexatarũ divortiũ ibi *concederetur*, id quod ad locum certè iſtum Moſaicum neceſſariò referendum eſt, & huius loci auctoritate niti debet, ideoq; cum hypothetica illa huius loci lectione conſiſtere nequit? Quomodo etiã dicit, p.22.lin.17. Moſem hoc edicto duo *caviſſe*, alterum *ne ſine libello repudij & libertatis teſtimonio uxor dimitteretur*: alterum *ne marito poteſtas eſſet eam iteratò in matrimonium ducere*? Quomodo deniq; p.31. lin.26. *legem* vocat, (imo, p.30.lin.19. & lin.28. *legẽ*, *leginatura contrariam* vocat) ſi ne libelli quidem traditio *legis* rationem habet? Quid enim ſi homo inconſtantiſſimus, p.27. cum dicit *Moſem idem dicere quod Chriſtus apud Matthæum*, & p.38.lin.15. cum negat *Chriſtum novam legem ferre*, tollit quod dixerat, *legem Moſaicam contrariam eſſe legi naturæ*? Valebit tamen contra Adverſarium, ipſius vel ſibi ipſi contradictoria confeſſio.

Accedit ad eius de quo agimus confirmationem interpretatio Phariſæorum, a quibus dicitur *Matt.19.7.* διὰ τί Μωϋσῆς ἐνετείλατο δοῦναι βιβλίον? (id eſt, vt interpretatur *Pyus* prolixè. p.25. *non tantum permiſit, ſed præcepit*) Nec contẽnendũ certè iſtud ideo, quia *Phariſæi* corruptores erant legis Moſaicæ. Nam ſi in hoc quoq; Moſẽ corrupiſſent, videtur *Servatorem* eos huius rei admoniturum fuiſſe, præſertim cum hoc errore diſcuſſo, dilueretur quicquid pro ſuis divortijs Iudæi ex Moſe afferre poſſent. Et, ſi *Iunio* credimus (in analytica explicatione in *Deut* 24.) hæc vna cauſa fuerit quod Moſem perperàm intellexerint. Atqui *Servator*, vt fatetur ipſe *Pyus*, p.25.lin.31. hoc totum quod ſupponunt Moſem *præcipere vt non ſine libello repudij dimitterent*, omittens, alterũ tantum vrget, ipſam tamen dimiſſionem nõ fuiſſe præceptum, ſed permiſſum. *Addatur* huc quod & ſupra dictũ eſt, in forma libelli Iudaici repudij eſſe, *iſtum libelli traditionem eſſe*

esse iuxta constitutionem Mosis; ita cum hæc forma recentior (fuit enim alia antiquior, vt supra notavimus ex *Iosepho*) ex recentiorum Doctorum sententia, & Phariſæorum illa interpretatio ex veterum Doctorum sententia desumpta videatur, certè & veteres, & recentes Doctores Hebræos putasse verba, de quibus agimus, absolutè intelligēda, negandum non est.

Adhæc si hypothetice legendum esset, cur tantum esset de sententia Mosaica dubium, vt Iudæos & Malachiæ & Christi ætate (vt colligitur *Malac.* 2. & *Mat.* 19.) & subeuntibus semper seculis (vt testatur *Arias Montanus*) ita perturbaret, non facilè quis intelligat. Cur autem libellus repudij, vt supra ostensum est, faceret irreconciliabiles, nisi quia auctoritate & ordinatione divinâ comprobatus est? *Adhæc* in duobus illis verbis quæ per parenthesin dirimuntur *vēhâiâh* & *vēcâthâb*, si quidē animad vertimus, permultū est quod faciat pro nostra lectione, qui legimus *tūe ostō, scribat*, contra alteram quæ legit, *& si fuerit vt scripserit*. *Primò* enim cum vtrumq; per *vau* conversivum convertatur ex præterito in futurum, vtrumq; eodem modo interpretādū, præsertim cum ad eandem clausulam pertineant. *Secundò*, duplicatio duorum verborum ad eandem clausulam pertinentium, quemadmodum & eorundem per parenthesin diremptio, emphasin quandam notat verbo principali conuenientissimā. *Tertiò*, si ad omnia verba primi versus particula conditionalis pertineret, facillimè per *vau* copulam omnia continuari possent, nec per parenthesin inter duo verba interserendum esset illud, *si non invenerit*, aut exprimenda in hac parenthesi *conditionalia*, quæ æquè ad reliqua omnia pertineret. *Quartò*, accentus *Athnach* seu semiplena distinctio ante illud *vēhâiâh* indicat hoc non esse ita continuandum ad illud, *& maritaverit eam*, vt istud ad primum verbum huius versus, sed maiore potius distinctione separandum; alioqui potius medio versu, quā tam propè ab initio appingeretur. *Sed* instar omnium est *Seruatoris* testimonium, cui communi omnium voce acclamatur,

matur, *Mosem permisisse repudium.* Atqui si ita legimus, *si dimittat & det libellum repudii ne iterum recipiat*, in hac certè sententia, non plus est permissionis, quam in illa lege *Deut* 22.28. permissio fornicationis dicenda, vbi legimus. *Si invenerit quis puellam virginem, quæ non est desponsata, & prehendens eam concubuerit cum ea, & manifesti fiant, tunc dabit vir ille qui concubuit cum ea quinquaginta siclos, &c.* Dicat *Pyrr.* (si cũ *Iunio* legendi sunt tres primi versus Deut: 24.) quid causæ sit, cur magis in illo loco permissio esse repudij, quam in isto permissio fornicationis existimanda sit. Dicat sanè, aut erubescat dum *Seruatorũ* sapientiæ & dicendi periciæ tantùm imprudens derogat. Nec omittendum, quòd omnium certè maximum est, in hac disputatione cum Phariseis, vbi inter ἐντολὴν et ἐπίτρεψιν distinguitur, *Marc.* 10.5. istud de libello repudij ab ipso *Seruatore* dici ἐντολὴν præceptum. Cui vni loco satisfieri, vt etiam totum versum primum *Deut.* 24. hypothetice legamus, nullo modo poterit.

Parag. 9. proponuntur pro prædictâ sententiâ aliæ rationes cõpluret, quibus et scriptorũ Ecclesiasticorum testimonium adiungitur.

Secũda quoq; & tertia, & quarta, & quinta nostra ratio, omnes ex eodem loco *Deut.* 24. petentur. Certè enim licet cuiq; mulieri ad verum maritum redire: nec id vnquam (nisi necessarium cælibatum imposuit) Moses vetuit, ne post adulterium quidem manifestum. At repudiatæ (vt patet v. 4) ad eum a quo repudiata fuerat, redire, postquam a secundis nuptijs libera esset, minimè licuit: ergo ille a quo repudiata erat non amplius erat ipsius legitimus maritus: & per consequens ritè diremptum est prius matrimonium. Alioqui enim (vt rectè Tertullianus, 1. in Marcionem paulo remotiùs a fine.) maneret matrimoninm nisi ritè diremptũ fuisset. *Adhæc* cum dicitur *prior maritus*, significatur eam duos habuisse maritos, duos autem simul dici mulieris vnius maritos nisi successiuè, in scripturis inauditum: ergo cum posterior erat, prior non erat, & ita prius matrimonium cũ supponatur non manere, supponitur ritè diremptum fuisse. *Similiter* & ex eo concludere possumus, quod interdicatur mulieri, etiam per mortem, aut repudium à posteriore viro separatæ ad priorem virum redire. Vbi proculdubio post

huius

huiusmodi seperationem liberior esse præsumitur, quã antè erat: at si prius matrimonium non litè diremptum, certè sẽ per fui: æquè libera. *Hoc addatur*, quòd Deus v.4. approbet & sanciat per vim l belli repudij vtriusq; partis consensu iã approbati (vt in superioribus docuimus) dissidium fieri irreconciliabile; at si Deus hoc approbavit, certè & libellum repudij approbavit, & ita testimonium etiam quod in eo mulieri dabatur eam liberam esse. Addatur & ratio *Wolfgangi Musculi* in Matt 19. *Licuisse autem* inquit *dimissa, alteri viro nubere, vel hoc testimonij sufficiat, quod Sacerdoti præcipitur in lege ne dimissam ducat: quæ lex supervacanea esset, si fas non esset repudiatæ denuò nubere.* Eandem ferè in sententiam *Zanchius* lib.4 de operibus Dei .c.1. in thesim tertiam de repudio, *Quavis* inquit, *de causa* (sic enim putavit) *per legem de repudijs in vetere testamento dabatur facultas aliud contrahere matrimonium: vnde illa lex Levitica, quâ præcipiebatur Sacerdoti ne repudiatam duceret: quâ significabatur alijs licere repudiatam ducere. Cogitemus* et illud, quod etiam supra commentatione secundâ parag. tertio notatum, legis Mosaicæ quæ conscientias ad pœnam æternam obligat, non posse esse ne permissionem quidem, nisi per quam fiat, vt id quod permittitur peccatum ne sit. Vnde *Calvinus* certe cum in commentz in Malach. 2. repudium Mosaicum illicitum diceret, ne permissum quidem vnquam fuisse asserit, id quod primò quidẽ cautiùs (*Scimus* inquit, *repudium vnquam fuisse permissum divinitus, propriè loquendo*) mox tamen absolutè dicit, *si quis vxorem repudiaret, vnquam tamen hoc permissum fuit, sed si fiat cõparatio* &c. Vbi etsi illud quidẽ malè cauit, ne Christo, qui permissionem vocat, contradicere videretur: illud tamen benè vidit, in lege diuinâ permissionem esse non posse, nisi per quam fiat vt ne sit peccatum id facere, quod permittitur. Vnde & permissionẽ definiunt, *Interpositionem* auctoritatis eius qui legi præest, vt id quod alias esset illicitum, posset fieri licitè. Alij autem cautiùs loquentes id saltẽ obtinent, non permitti illicitum, nisi alibi ostendatur esse illicitum; ideoq; cum (vt supra parag octavo docuimus)

nusquam alibi ostendatur ante,Evangelij patefactionem, illud de quo agimus fuisse illicitum,necesse istam permissionem non *illiciti tolerationem* sed *licitæ concessionem esse*. Ad ista omnia adijciatur quod in ijs quæ viduæ,quia vidua est conceduntur,idem planè apud Mosem iussit repudiatæ & viduæ. Cur enim *Num.*30.virginis,dum sub patre, vxoris, dum sub viro est,vota rata non fuerunt,viduæ autem & repudiatæ fuerunt? Certè quia hæ sui iuris & liberę,illæ autẽ non item. Cur *Leu.*22. sacerdotis filiæ extra sacerdotalem familiã enuptæ dum sub marito degit,mensæ sacræ interdicitur:repudiatæ autem non minus quam viduæ de oblationibus rerum sanctarũ comedere permittitur? Certè quia illa ad alienam familiam pertinebat,hęc autem si quidem sine liberis esset ad domum paternam,æquè libera atq; cum virgo esset,redibat.

Auctoritates Doctorum,vt dixi,in ambiguo sunt, quia ex alterâ parte vrgebat error temporis divortium Mosaicũ fuisse varijs de causis:indignum autem sciebant Mosem ita concessisse divortiũ:ex alterâ vero rei ipsius evidentia premebat. Et tamen in ista difficultate(quę nobis qui dicimus divortium Mosis fuisse in sola causa adulterij planè nulla est) quam-multi *concessum* non modo *toleratum* divortium Mosaicum tradiderunt?

Nam vt omittam doctiores Pontificios *Aquinatem*, *Scotum*, *Paludanum*, *Durandum*, *Caietanũ*, *Abulensem*, *Salmeronẽ*, qui omnes sub lege Mosaicâ licitũ fuisse divortiũ Mosaicũ alij tectiùs, alij apertiùs contenduut: nec illud vrgeam ex homil.21.inter homilias 27.*Mat.*in 2. *tomo* operum *Chrysostomi*,vbi hoc ipsum disertè asseritur, legis-latorem à peccato abstulisse culpam peccandi: qui locus integer in homiliam 32.operis imperfecti in *Mat.* transcribitur: *Augustinus* lib.de sermone in monte,c.25. *Multa erant*, inquit, *in lege causa dimittendi vxorem*. Cum causas dicit, & in lege, & ex oppositio ei quod nunc est in Evangelio(addit enim, Christus solam fornicationem excepit)necesse de concessione non tolerationę intelligatur. Hieronymus, *maluit*, inquit,

quit, *indulgere dissidia, quam odium & homicidia perseverare.* Si indulgentiã hic interpretamur meram tolerãtiã, absurdã faciemus sententiam; vt dicatur potius toleraſſe diſſidia quã odia, cum vtrumq; certè toleravit, ſed alterum tantùm indulſit.

Muſculum & *Zanchium* ſtatuere licitas repudiatæ nuptias cum ſecundo, ideoq; etiam repudiationem à priore marito, ſuprà diximus. Accedat & ipſius *Iunij*, qui à nobis diſſentit, ſatis tamen aperta confeſſio. Nos enim divortiũ illud *Deut.* 24. non abſolutè, ſed tantùm ſecundum quid legitimum cõtendimus: in Analytica autem Pentateuchi explicatione *Iunius* poſtquam monuerat eas res quæ *per ſe quidem non ſunt legitimæ, ſed tantum propter publicam aliquam neceſſitatem tolerantur, & ſecundum quid ſunt legitimæ, à ſe dici toleratas; immediatè dicit, iſtud divortium rem̃ lege toleratam fuiſſe.* Oecolampadius in *Malachiam*, etſi locum *Malach.* 2. parum rectè explicat, ſuam tamen ſententiam de licitis repudiationibus Moſaicis ſatis indicat. *Quartò*, inquit, *dicit ecce ſi tantus eſt concupiſcentiæ æſtus, habes aliud remedium, quod Deus per Moſem ob duritiem cordium conceſſit, da priori vxori libellum repudii, & duc aliam.* Brentius in *Deut.* *Hæc duo*, inquit, ſcilicet repudium & nouas nuptias, *manifeſtè iniqua concedit lex.* Bucerus de regno Chriſti, c. 32. *Si polluta dicitur, quæ poſt divortium alteri nupſit, quod tamen ei concedebatur, multo magis quæ adulterium commiſit.* Chytraus in *Deut.* *Divortia permiſit Moſes, vt planè ſolutum eſſe prioris coniugii vinculum, & dimiſſa ius eſſe nubendi alteri viro, ac firmum eſſe aliorum matrimonium, nec ius eſſe prioris marito repetendi dimiſſam, oſtenderetur.*

Ad hos annumerare poſſumus etiam omnes eos qui majorem lucem & gratiam Evangelicam in cauſã ponunt abolitæ huius diſpenſationis Moſaicæ. Si enim nihil conceſſit Moſes (vt rectè colligit *Pyn.* p. 3.) certè ne omnino quicquam abolitum: & ſi ob ea quæ poſt *Chriſti* aduentum cõtigerunt abolita eſt, certè antequam illa acciderant, obtinuit. In his qui hanc cauſam abolitionis faciunt, numerandus etiam *Zuinglius* in *Matth.* & *Martinus Borrhaus* in *Deut.* &

Petrus Martyr loc. commun. classi. 2. c. 10. sect. 51. qui & suam de licitis inter Iudæos sub lege repudijs sententiam profitetur, eodem capite, sect. 13. & 61. & cap. 11. sect. 11. Docet idem *Petrus Martyr*, c. 10. Polygamiam ante *Christi* adventum, Deo legem remittente peccatũ non fuisse; hanc{que} communem *Chrysostomi*, *Hieronymi*, *Augustini*, & *Ambrosij* sententiam fuisse docet sect. 11. & 14. Idem profitetur & doctissimus *Drusius*, sentire se, & Scholasticos secũ, & Hebræos ad vnum omnes: scilicet, *Polygamiam paucorum mulierum licitam, complurium illicitam fuisse.*

At certè ipso *Pyo* cõfitente, p. 45. & *Calvino*, tum in *Deut.* 24. tum in *Malach.* 2. peior erat Polygamia divortio Mosaico; & quod in hoc erat contra legem naturæ, cum Polygamiâ ita erat connexum vt ne cogitatione quidem facilè separari posset, ita cum Polygamiam illam veterum omnes illi quos dixi à peccato excusarent, (siue id rectè, siue secùs fecerunt) certè vel scientes vel imprudentes etiam divortium Mosaicum omni peccato absolverunt. *Plura* de hac quæstione qui velit, videat apud *Abulensem*, q. 49. in 19. *Matt.* & apud *Salmeronem*, lib. 5. tract. 39. in Evangelia; & apud *Scholasticos* in 4^m. Sententiarũ. Nos enim ea ferè sola hactenus attulimus, quę ad præsentis controversiæ corpus, & ad vniversam veri harmoniam magis consentanea, ab aliis aut omissa, aut non animadversa, aut parùm explicata sunt.

Commentatio quarta.

De cæteris contra maiorem Horsianam obiectionibus Pyanis.

Parag. 1. Solvuntur duæ aliæ obiectiones Pyanæ, circa genera earum rerum quæ Christi adventu abolitæ sunt.

Dispensatio illa, inquit *Pyus* ad *Horsonum*, p. 3. *quam adventu Christi fundituꝰ concidisse dicis, num tibi ceremonia videtur? Certè vel ceremoniã fuisse tibi erat probandum, vel alias res præter ceremonias aduentum Christi finem fecisse: & tum dispensationem hanc de qua agitur sub earum verum genere fuisse com-*

comprehensam, firmandum tibi roßabat. His verbis, nisi planè ad pompam ista locutus est, & vt fucum Sophisticum faceret, duæ contra maiorem *Howsonianam* obiectiones continentur. *Prior*, videri adventu *Christi* solis cæremonijs finem impositum, ideoq; nõ huic dispensationi. *Altera*, si alijs rebus præter cæremonias finis adventu *Christi* impositus, videri tamen hanc dispensationem in earum rerũ genere nõ fuisse comprehensam, ideoq; finem ei per adventum *Christi* non esse impositum.

Ad priorem respondeo. Si ideò dubitat, vtrum præter cæremonialia quicquam possit dici abolitum, quia videtur licere vti cæteris, modo ita legis-latoribus civilibus & Ecclesiasticis placuerit: intelligat præcepta seu sanctiones abrogatas censeri, non modo cum *mortifera* sunt, id est, cum piè observari non possunt; sed etiam cum *mortua* sunt, id est, cum non ampliùs cogunt atque obligant. Sin excipiat hoc saltem loco de eiusmodi abolitione & abrogatione loquendum, per quam res fiat *mortifera*, & non ampliùs licita, vt cum solæ cæremoniæ hoc modo abrogatæ videantur, etiam solas cæremonias hoc loco abrogatas dicendum sit. Respondeo, sola quidem cæremonialia dici & *mortua* & *mortifera*, quia in ijs, vt in omnibus sanctionibus distingui possunt hęc duo genera abrogationis: sed tamen verum esse istud non solum de sanctionibus sed etiã de permissionibus quæcunq; abrogantur, eas & *mortuas* esse, & *mortiferas*. Sed de ijs tamen ita nõ loquuntur Theologi: quia in ijs hæc duo distingui nequeunt. *Præcepti* enim seu sanctionis duplex abrogatio esse potest; *minor*, vt non sit necessaria; *maior* vt nõ sit licita eius obseruatio. (*Priorem* dicimus per quam *mortuum* fit id quod abrogatur; posteriorẽ per quam *mortiferum* fit) *Permissi* autẽ seu *concessi* vnica est abrogatio; nimirum ea per quam fiat vt illicitũ sit id, quod ante fuerat permissum.

Et hæc quidem abrogatio vna eademq; & *mortuum* facit & *mortiferum*. Permissionem quidem ipsam facit *mortuã*; id vero quod secundum eius permissionis præscriptum

fieret, facit *mortiferum*. Ita vtcunq; hoc loco eam abrogationem intelligamus, quæ faciat illicitum, seu *mortiferum*; non tamen (vt iam ad posteriorem quoq; obiectionem respondeamus) ab ista abrogatione omnia *iudicialia* excludimus. Sed in ijs etiam dispentationes quasdã ponimus (quo in genere & hanc nostram censemus) quas iam diu abrogatas contendimus: & idcirco cum hæc sit vnica dispensationum abrogatio, illicitum iam planè secundum eas quicquam facere.

Candidius forte hoc loco quam necesse erat, agimus: nec arripimus, quasi *Pyus* solis Ceremonialibus, id q; alijs certè sentire videatur, finem Christi aduentu impositum sentiret. Sed si hâc sententiâ est, habet refutatorem reverẽdissimæ memoriæ *Iohannem Whitgiftum* nupèr *Archiepiscopum Cantuariensem*, qui in responsione ad priorem *Cartwritti* disputationem tract. 2. c. 6. divis. 5. longè diversam sententiã ex probatissimorum Theologorũ congestis testimonijs doctissimè confirmat. *Cartwrittus* enim vt presbyterium suum, quod ipse falsò putavit idem cum Iudaico presbyterio fuisse, Ecclesiæ nostræ obtruderet, alia q; multa & magna ad Ecclesiasticam ditionem magistratui civili extorqueret, de Iudicialium Mosaicorũ abrogatione invitus audiebat. Vnde in secunda contra *Whitgiftum* disputatione, parte priore p. 97. *Iudicialia Mosaica* quæ merè civilia sunt, & sine Ceremoniarum noxurâ, etiam nunc obtinere ait inter *Christianos*.

Ex hoc fonte si suam exceptionem *Pyus* desumpsit, ex eodem etiam responsum capiat. Paulo enim supra idem *Cartwrittus* (quemadmodum & priore disputatione p. 22.) quædam confitetur *Iudicialia* esse, vt quæ loci & populi ratione constituta sũt (quæ certè ratio nihil ad Ceremonias) in quibus non tota *vis* ipsa, sed tantum ipsorum *æquitas* & *similitudo* inter *Christianos* obtinet. Addit homo parum sibi constans, eiusdem posterioris disputationis p. 96. sola illa Mosaica sublata esse quæ pertinerent ad inimicitiam, aut inter hominem & Deum, aut inter Iudæos & gentes. Quasi verò

hâc

hac ratione sublata & illa essent ad quæ ob populorum & locorum differentias, ceteras gentes non obligari cõfitetur.

Sed qui locorum & populorum agnoscit differentias, agnovisset etiam & temporum, vt ita iustam, & penè integrã causam, cur ista, de qua loquimur, permissio Mosaica iã post adventum *Christi* abolita & invalida esset, comprehenderet. *Adventum* enim *Christi dicimus, non momentum incarnationis, aut horam nativitatis eius, sed totam illam Evangelij patefactionem; inchoatam quidem per Christum ipsum dum in vivis ageret, absolutam verò per Apostolorum ministerium.* Per huiusmodi adventum *Christi* dicimus sublatam istam dispensationem Mosaicam.

Primò, quia per istam Evangelij patefactionem, Ecclesia per totum orbem propagata, nec Hierosolymitanæ sedi omninò iam insita, aut addicta, quæ *Iudæis* specialitèr indulta fuerant, ea non poterat sine novâ auctoritate divinâ, ad se arripere. Si enim nec morales leges Mosaicæ (vt copiosè docet *Zanchius*, de oper. redemp. c. 11. Thesi 1.) *Christianos* obligant, nisi quatenus lege *Christi* aut naturę confirmãtur: multò minus specialis permissio, seu dispensatio vlla *Mosaica*, sive moralis, sive iudicialis fuerit, *Christianos* excusabit aut tuebitur, nisi aut *Christi*, aut naturę lege confirmatur. Ita cum naturæ legi semper repugnasse eam permissionem, de qua agitur *Deut.* 24. v. 1. (quæcunq; eius sententia fuerit) apud omnes in confesso sit, per Christum autem confirmata nusquam sit, certè per adventum Christi, eo ipso nomine quòd per eum confirmata non fuerit, iure optimo antiquata dici poterit. *Secundò*, etiam per Christi adventum abolita ista dispensatio dicatur, quia in eius adventu, seu Evangelij patefactione, inchoata adulta ætas mundi, vbi pedagogiæ quæ non solum in Ceremonijs, sed etiã in indulgẽtijs erat, minor iam locus: præsertim in vberiore tum revelatione veritatis, tum gratia spiritus. *Tertiò*, etiam idem rectè dicitur, quia per adventum Christi, id est, per patefactionem Evangelij in libris Apostolicis, vocamur ad aliam legem Evangelicam, huic permissioni, vt quidem videtur, contrariam.

Hæc

Parag. 2. quarta & quinta obiectio Pyana contra maiorem Howſonianam ſoluuntur.

Hæc ſi rectè attendit *Pyus*, non modò habet ad præmiſſas duas obiectiones reſponſionem idoneam, (intelligit enim & alijs rebus præter ceremonias, & eiuſmodi rerũ generi, quod iſtam permiſſionem comprehendat, ſinẽ Chriſti aduentu tripliciter eſſe impoſitum) ſed etiam ne quid deſideret, duabus etiam alijs ſuis obiectionibus aditum præcluſum animadvertat. Nam quod ait p. 4. per fallaciam Non cauſæ pro cauſa, dici Chriſtum per aduentum ſuum ſuſtuliſſe, id quod tantum interpretando mentem & ſententiam legis diuinæ ſuſtulit: expoſuimus quomodo per aduentum Chriſti, ſine vllo adhuiuſmodi interpretationem reſpectu, iſtud ſublatum dicatur. Addendum tantùm, in iſta obiectione *Pyana* maximam certè latere fallaciam. Quomodo enim probat Chriſtum, tantùm interpretando ſuſtuliſſe iſtã diſpenſationem? Certè quia apud ipſum quoq; Moſem illicita eſt: vt quæ ſcilicet vel levioribus de cauſis fuerit: atqui iſtud in præcipua quæſtione eſt, vtrum Moſaica permiſſio etiam leviores cauſas comprehenderit. Illud enim fortè minor culpa fuit, quod hoc loco, & p. 55. lin. 9. & 27. dicat per interpretationem Chriſti ſublatam eam diſpenſationem, quam verbis immediatè hunc locum præcedentibus, quia nunquam fuit poſita a Moſe, ideo nec ſublatam per Chriſtum, contenderat.

Altera obiectio, quæ etiam ex ſupra dictis facilè diſſolvitur, eâdem p. 4. & 5. habetur, vbi vt probet *Howſonum* alibi negare quod hic affirmat, varia profert loca, ex p. 39. & 40. & 44. vbi aſſerit *Howſonus* pro eo quidẽ quod meminit, Chriſtum dum in terra ageret nunquam inſinuaſſe Iudæis, ſe velle robur & virtutẽ Moſaicæ legis aliquantulum infringere: & certè ipſum dum in viuis ageret, legem Moſis nec plenè nec partim ſuſtuliſſe: hæc cum ab *Howſono* ita dicantur, vt de diſpenſationibus quoq; Moſaicis, & nominatim de hac ipſa, quam præ manibus habemus, intelligenda ſint, putat *Pyus* maiorem *Howſonianam* cum ijs non poſſe conſiſtere.

Sed ex ijs quæ ſupra dicta ſũt, iſta facillimè recõciliãtur.

Cum

Cum enim negat *Howsonus* Christum ante mortem nec leges nec dispensationes Mosaicas sustulisse, id tantum vult Christum in propria persona, (sic enim loquitur) non docuisse tollendas. Probat enim *Christum Matt.* 19. de hac dispensatione nihil tale docuisse: vnde & p. 44. disertè in hanc sententiam illum locum concludit. At quomodo per aduētum Christi ista dispensatio tolleretur, & tamen per doctrinam Christi, eam quam in propria persona traderet minimè tolleretur, satis in superioribus explicatum est.

Nam quod addit *Pyus*, quasi ex p 17. apud *Howsonum* lin. 4. *Christū dispensationis istius instauratorem fuisse clamitas*, certè hoc non modo non clamitat *Howsonus*, sed ne dicit quidē. Verba eius hæc sunt (vbi de sex legibus Mosaicis *Matt.* 5. explicatis loquitur) *in quibus* inquit, *omnibus non agebat legis-latorem, sed legis interpretem & instauratorem.* Cum dicit in *omnibus* illis *legibus* Christum egisse *Legis* instauratorem, satis cavit vt ista instauratio intelligeretur de corpore legis Mosaicæ communiter, non autem de singulis clausulis separatim, quæ ad quamcunq; illarum legum pertinerēt. Deinde si de lege etiam repudij vtrumq; intelligendū, Christum eius egisse instauratorem & interpretem; instauratorē potius intellexisset *Pyus*, quatenus lex est: interpretem autem quatenus permissio est. Non enim solum duo sunt illa in lege repudij præcepta, quæ supra nota vimus (de traditione libelli, & de non recipienda si nupserit alteri) sed tertium quoq; est, vt ne dimittant quavis de causa, sed tantum ob nuditatem in lege notatā; & huius certè tertij præcepti instauratorem egit Christus *Matt.* 5. etsi permissionis, vt dimitterent ob nuditatem illam, non instaurator fuerit sed interpres: nisi forte instaurationē dicemus, quod glossematis & abusibus corruptam repurgavit; id quod non modo consentit cum eo quod dicimus, Christi aduentu (ita scilicet vt supra exposuimus) sublatam istam permissionem: sed cū eo etiam quod verum certè est, Christum huic permissioni, in ea doctrina quam *Matt.* 19, ipse ore proprio tradidit, nō parum derogasse.

Fatendum enim etiam hoc quoq; in maiore *Howſoniana* innui, vnde & *Gentilis* in excusâ ad *Howſonum* Epistolâ etiã a Christo abrogatam eo loco *Matt.* hanc permissionem dicit, quia scilicet iacta ibi sequutæ abrogationis fundamẽta. Nec pugnat certè hoc cum scopo loci *Howſoniani.* p. 39. & sequentibus. Scopus enim eius loci est, vt doceat Christum in illa exceptione *Nisi ob fornicationẽ*, nihil palàm docuisse, quod videatur necessariò tollere permissionem Mosaicã: id quod ex eo satis probatur, quod *Christus* nunquam apertè & ex professo, ore proprio docuerit abolendũ esse quicquam Mosaicum. Et hoc quidem salvum constare potest, etsi Mosaicę alicui permissioni nonnihil derogaverit. Quẽadmodum & illud quoq; quod vrget *Pyus*, simul potest consistere, vt Iudæis nunquã insinuaverit Christus, se velle vim & robur Mosaicarum constitutionum infringere. Est enim aliud legis perfectioni apud intelligentes & spirituales auditores privatim derogare; aliud Iudæis, id est tardis & carnalibus insinuare eam infringendam.

Parag. 3. Pyũ in maiore Howſoniana ea modò inſectari, ſine quibus concluſioi ſalua eſſe poſſit. Imo ipſam maiorem integram alibi ſeriò concedere.

Notandũ in toto hoc sermone de majore *Howſoniana*, etsi ad alia quædam, vberioris respõsionis & satisfactionis causâ divertimus, satis tamen ad conclusionem *Howſonianam* stabiliendam, modò duo tantùm circa majorem illam stabiliantur; vnum, licuisse Iudæis secundum permissionem illam Mosaicam dimittere priores & novas ducere alterum, Christianis non licere. Ex his enim duobus constat, *illud nobis non licere, quod Iudæis ſub lege divortij licuit*. Vnde adjuncta assumptione, *non licuiſſe Iudæis niſi ob adulterium*, conclusio necessariò sequitur, *Chriſtianis ne ob adulterium quidem licere*. Quod addit *Howſonus* per adventum Christi sublatam esse illam licentiam, ex superabundanti additum: vt quod ipsius parum referat, ita sit, an secùs. Etsi enim istud verè asserit, & cum ceteris suis dictis consentienter (vt satis jam supra ostensum est) non tamen negamus, quin subtiliore fortè, sed verâ tamẽ ratione, licentia illa cùm *Chriſtianis* aut *Gentilibus* concessa & stabilita nunquam fuerit, (quod nec asserit *Howſonus*) ne sublata quidem vnquam, multò minus

per

per Christum sublata fuisse dici possit, nisi solùm Iudæis, quibus solùm cõcessa. Vnde *Beza* in lib.de hæreticis à magistratu puniendis, *Iudicialia* dicit *nunquam abrogata nobis, quia nobis nunquam scripta sunt.* Quem locum à D. *Whitgifto* Tract.2.ca.6.divis.5.inter alia multa adductũ contra prædictam *Cartwriti* sententiam, *Cartwritus* in posteriore disputatione part.1.p.7. quasi pro se faceret,(subtilitatem dicti aut nõ intelligens,aut dissimulans)turpitèr arripit. Nec tamen idcircò perperam ab *Howsono* dicitur, *sublatam istam dispensationem.* Quæ enim Ecclesiæ & posita olim, & tandẽ sublata fuit,non modò absolutè,sed etiam quoad nos sublata, non absurdè dicatur.

Sed vtcunq; istud sese habeat, dum duo illa obtinentur (quorum alterum, *Iudæis olim licuisse dispensatione Mosaica vti* diligenter probavimus:alterum, *nobis non licere* nemo sanus negaverit)firmus stabit integerq; *Howsonianus* syllogismus: vtcunq; *Pyo*,(id quod solum curasse videtur)deridemus, nõ fuisse per Christum sublatam illam dispensationẽ. Quo magis certè frigidus Adversarius iste videatur, qui cũ majori propositioni isti sẽ opponeret, pilos tantùm & vngues carperet,corpus vero(nisi quod brevissimè negligentissimeq; & inconstantissimè dixit, *nec olim licuisse ista dispẽsatione vti*)ne attigit quidem.

Imò vero, quod *secundo* loco notandum est,propositionem istam, quam,(cum minorem, vt supra probatum est, concedat)solam sibi quam negaret reliquit, totam, integram,quam largè laxeq; ab *Howsono* expressa est, p.55. lib. excusi lin. 7. homo inconsideratissimus cõcedit. *Quicquid*, inquit, *Moses Iudæis ob duritiem cordium permisit, id totum à Christo sublatum esse, in confessum venit, cõstatq; omnibus.* Quid vltrà aut supra *Howsonus*? Nec ex *Howsoni*, sed suà, & omnium sententiâ hoc dicit: nec otiosè, aut obitèr, sed seriò dicit. Huic enim fundamento grande & glorioſum,nescio quid,superstruit, quod suo loco videbimus; in quo si se *Howsonus* expediverit *Erit*, inquit, *mihi magnus Apollo*: addit & alia ibidem eandem in sententiam. Nam cum dicit

non sic fuisse ab initio vt in Mosaica permissione fuit, nunc autem *ita esse vt ab initio fuit*, certè dicit *nunc non esse, vt in permissione Mosaica fuit*. Quemadmodum & verbis immediatè præcedentibus, *permissionem*, inquit, *illã Mosis emendat Christus, seu potiùs e medio tollit*. Certè cum ista sumeret & poneret, cumq; supponeret permissionem Mosaicam levioribus de causis fuisse, (vnde eam inter *Christianos* vigere non posset nisi absurdissimè dicere) aliquam certe operam posuisset homo non negligentissimus, vt ostenderet cur ista dicens, *Howsonianam* tamen maiorem non admitteret.

Parag. 4. Trãsitus ad disputationem de minore propositione syllogismi Howsoniani.

Sed de maiore *Howsoniani* syllogismi hactenus dictum: de statu quoq; controversiæ circa minorem eiusdem syllogismi supra vidimus. Obiectiones *Pyanæ* contra minorem istam, partim sunt ἐλεγκτικαὶ, id est quæ contradictoriam propositionem concludere conantur; partim ἐνστατικαὶ, quibus *Howsonianæ* pro eâdem minore argumenta, & argumentorũ confirmationes oppugnat. De priore genere priùs videndum. Tantum de tota insequente disputatione illud hic monendum, quod & ante, aliqua ex parte indicatũ est, totam de minore propositione controversiam potius esse, vtrum eam *Howsonus* rectè confirmaverit, quam vtrum vera sit. Veram enim esse, etsi *Pyus* hoc nunquam disertè confitetur, tamen hoc eum negare non posse, ex eâ interpretatione quam supra posuimus, & ex quamplurimis locis libri *Pyani* abundè suprà docuimus.

Disputat tamen ἐλεγκτικῶς, & vt ipse loquitur, κατασκευαστικῶς contra minorem istam. Sed in ista disputatione cum concludit Mosem ob alias causas permisisse suum divortium, quam ob adulterium, nihil aliud vult, quemadmodum & p. 3. lin. 19. & 27. nihil aliud proponit, nisi in illa (quã vocat) facti divortij recitatione (id est *suppositione*) *Deut.* 24. 1. verba Mosis potius de alijs causis quibusvis, quam de adulterio intelligenda. Et hoc quidem si verum est, evertetur generale & præcipuum minoris *Howsonianæ* firmamẽtũ. Etsi eodem tamen opere ipsa statim non corruet. Potuisset enim fieri vt Moses *Deut.* 24. 1. de alijs potiùs causis quam

de

de adulterio loquutus fuerit,& nihilo tamen minus ex solâ causâ adulterij novas post divortium nuptias ita concesserit,vt in ijs nullum esset peccatum. Quemadmodum certè ipse *Pyus* qui *illud* asserit,*istud* quoq;quod cũ minore *Howsoniana* prorsùs idem esse demonstravimus, ferè passim confitetur.

Commentatio quinta.

Solvuntur obiectiones Pyana, quibus contra minorem syllogismi Howsoniani probare nititur, Mosem Deut.24.1. de alijs potiùs causis, quam de adulterio intelligendum.

Primum contra minorem *Howsonianam* objicitur.p.3.apud *Pyum*, Antithesis doctissimorum Theologorum,vbi nominantur solum *Augustinus* & *Lyranus*. Respondemus. *Primum* quidem cum in minore sua nihil aliud dicat *Howsonus*, quam quod vnà sentit *Pyus*,æquum vt ei à *Pyo* ignoscatur, si secum sentiens ab alijs dissentit. *Secundo* vtcunq; *Howsonus* in sententiæ suæ assertione & confirmatione quædam ponat a paucis hactenus agnita, pro *Pyo* tamen hoc parum aut nihil fecerit, cum ipse etiam *Pyus*, complurium quos *Howsono* objicit sententiæ in hac quæstione adversetur.

Parag. 1. Solvitur obiectio prima ex auctoritate Ecclesiastica, vbi & circa Paraphrastẽ Chaldæum non levis,& circa Ecclesiæ Anglicanæ testimonium, insignis Pyana temeritas ostenditur.

Primum, dum putat licere secundas ex divortio ob adulterium nuptias. *Secundo*, dum contextum Mosaicum *Deut.* 24. *hypothetice* vsq; ad versum quartũ legendũ putat. *Tertiò*, dum *Judæis* vigente lege Mosaicâ putat minimè licuisse vti ista permissione Mosaica. *Quartò*, dum vocabulum pollutionis *Deut.*24.4. aliter accipit quam pleriq; interpretantur, (nam & hæc quoq; res apud *Pyum* permagni.) *Quintò*, dum p.40.lin.1.& p.13.lin.2.& p.49.lin.27. supponit in causis, quas *Deut.*24.1, Moses notaret, adulterium minimè comprehendi. *Sextò*, dum p.13.lin.2.& p.30.lin.19.& p.24.lin. 34.(vtcunq;in manuscripto ad *Gentilem* tergiversetur, con-

signatis, inquit, *tabulis agito, locum in meo libro signato*) expressè verba Mosis ad quam vis causam extendat, cum Interpretes communitèr ad certa quædam genera causarum restringant.

Deinde etiam, vt adhuc plenius ad istam obiectionem respondeatur, non caret omni veterum patrocinio interpretatio *Howsoniana*. *Primũ* enim *& eos* qui legunt absolutè, *scribat libellum*, non autem *si scripserit: & eos* qui Mosem de eiusmodi causa locutum putant, ob quam dimittere vxorem, & aliam ducere peccatum non esset: *& eos* qui putant stante politia Mosaica, ob nullam causam nisi ob adulterium licuisse vxorem dimittere & aliam ducere, omnes vel invitos, vt ex prædictis apparet, pro suis vendicare poterit. *Secundò Burgensianam* interpretationem, quæ cum *Howsoniana* prorsus eadem est, ex doctissimis *Hebræorum* desumptã, suo loco docebitur.

Ad istam obiectionem *Pyanam* ex Ecclesiasticorum hominum auctoritate, appendix quædam est & *illud* quod habet p.16.lib.excus. de *Caldæo Paraphraste*, & *illud* quod in manuscripto ad *Gentilem* de auctoritate *Ecclesiæ Anglicanæ* vrget. *Chaldæus* inquit *Paraphrastes Leu*, 18. *aliisq; locis in quibus nĕrvâh verenda notat, aut in eiusmodi verborum comprehensione ponitur, qua contum indicat, semper interpretatur nerjath: at hoc loco vt aliud esse, aliumq; habere significatum ostendat, nãberãth pithgâm offensam rei, id est offensionem rei cuiusvis.* עבירה פתגם Respõdeo, lib.1.*Sam.*c.20.v.30. vbi Hebræum *nĕrvâh* ad personam refertur, ideoq; si *Pyo* credimus, p.11.lin.24. hominis pudenda denotat, in Paraphrasi Chaldæa redditur nõ per *nerjath* sed per *Kĕlãn*: non ergo ex diversitate vocabuli sequitur diversitas sententiæ.

Ad hæc non rectè *Pyus* verba Paraphrastæ per *offensam rei*, seu *offensionem rei* cuiusvis interpretatus est; pro quibus *Arias Montanus* legit *aliquid turpitudinis*; & vox certè ipsa a verbo transgrediendi, (vnde Io.1.28. nomen *Bethabaræ* ad transitum *Iordanis*) transgressionem, id est peccatum significat; עברה vnde proverbium Rabbinicum *nabbĕrãh gôvereth nabbe-* גרדת עברה

berâh, id est *peccatum trahit peccatum*. & Prov. 21. 27. vbi legitur ex Hebræo *sacrificium impiorum abominatio est, quanto magis si scelerato consilio* (vel vt habet *Iunius* si scelerate) *illud attulerit* vel acquisiverit: ibidem *Targum*, id est paraphrasis ista Chaldaica, legit *Dĕbăvăbĕrthâ per scelus*, vel *de scelere*, (vt habet translatio *Ariæ Montani*) vbi vox est ab hac nostra paulùm deflexa, eiusdem & originis, & significationis; ita vox ista *năbĕrath* non est (vt vult *Pyn* quævis offensa, quæ viri animo displiceat, sed teste *Iunio*, & *Arya*, viris longè doctissimus, *sceleratum quid, & peccatum in Deum*: vt & etymon notat huius vocabuli, quod *Elias Levita* dictum notat, quia per ipsum transgreditur homo mandatum creatoris sui.

רבעברתא

עבירת

Nec difficilè tanè cum de repudiatione mulieris ob talē transgressionem agitur, aliquod genus impudicitiæ intelligi vt & *Latini* cum de mulieribus loquuntur, *probum* intelligunt *pudicum*, & *peccare sectari*: Propertius, *Quam facere vt nostra volunt peccare puella*: &, *Non quia peccaris testor*, (i. detestor) *te, sed quia vulgò*, Sic & *vitiare* & *vitiū inferre* dicūt, & Moses *polluere mulierē*, & *Luc.* 7. 39. *Quæ tangit eū peccatrix est*. Vt enim *virtus* in viro *fortitudinē* notat (id est propriam laudem viri) & simul omniū laudabilium commune nomen est; ita *vitium*, & *peccatum*, & similes voces in muliere *impudicitiam* notant: quia hoc est *primum* & *præcipuum* in muliere *vitium*.

Alter locus de testimonio Ecclesiæ Anglicanæ apud *Pyn* in manuscripto ad *Gentilem* (quod tamen etiam ad plures pervenit) prætereundus minimè est. *Primò*, quia mirum in modum, vel potius supra omnem modum, delæsit ibi *Pyn*, & ampullatur. *Mirari*, inquit, *satis non possum, quid* (*malum*) *D. Howsonum impulerit, quæ κακοδοξίαι*, vel *κακοδοξίαις furiæ agitaverint*: & mox, *ad perpetuum* (*quantum in ipso est*) *pientissimorum principum Edwardi sexti & Elisabethæ dedecus, ad tot colendissimorū per quinquaginta annos Ecclesiæ huius Præsulum contumeliam*: *imo ad Ecclesiæ totius Anglicanæ probrum & infamiam*. Et paulò post iterum, *contrà verò*, inquit, *ad laudem & decus egregium Edmundi Bonneri, &c.*

Quid

Quid dignum tanto ferret hic ſaviter hiatu? Certè (quod & altera cauſa eſt cur conſiderandus hic locus) non magis puerperi illi montes Aeſopici ridiculi, in mure ridiculo: vt mihi quidem iam pænè perſuaſerit, in omni vehementia, quæ plenior æquo eſt, ventum & ſimulationem ſubeſſe: ita vt ne moveat quidè magis, quã cum —*vocem comœdia tollit, Iratuſq; Chremes tumido delitigat ore.*

Quid enim, nõ intelligit nos omnes ſentire ipſum huius criminis teneri, cuius *Howſonum* ita tragicè accuſat? Sententiolam vnam & alteram reperit in Homilijs publicâ auctoritate Eccleſiæ Anglicanæ editis, his putat *Howſonum* contradicere, & ita etiam iudicijs *Edwardi ſexti*, *Eliſabethæ* Reginæ, *Parliamenti*, *Synodi Londinenſis*, & eorum omnium qui libro communium precum & articulis *Synodi Londinenſis* ſubſcripſerunt. Horum enim omnium iudicijs Homiliæ illæ aut expreſſè aut implicitè approbatæ ſunt: vt qui ijs, idem & his contradicat, & infami *Bonnero*, qui ijs ſe oppoſuit fauear. Ita ſi Homiliæ quoq; illæ dogma aliquod continent, cui *Pyus* ipſe contradicit, certè ex ipſius ore gravia illa omnia in ipſum redundabunt. Videat ergo apologiam contra Dominum *Io. Bridges* nunc *Oxonienſem Epiſcopum*, vbi, p. 116. reprehenditur harum homiliarum dogma, de licita Patrum ſub lege Polygamiâ. Conſulat & libri ſui, p. 33, lin. 29. & præcipuè p. 3. lin. 29. vbi expreſſè dicit polygamiam in lege planè prohibitam: et ſi quid ſentit, erubeſcat. Videat & *Statutum Parliamenti* 25. *Henrici* 8. ca. 19. & *Eliſabethæ* c. 1. vnde apparebit eam partem iuris Canonici quæ etiamnùm in *Britannia* valet & viget, ab ipſo p. 51. lin. 24. *putidiſſimum inſculi brodium*, in ſingularem *Parliamentorum* noſtrorum contumeliam appellari. Nam Synodis etiam *Londinenſibus*, præterquam quòd Homilijs quas illæ approbarunt deroget, quàm parùm tribuat ſtatim pluribus dicetur. Ita quicquid de *Howſono* erit, quod reſtat videndum, de *Pyo* ex ipſius ore actum.

Mauult abſentem Nevium dum rodere, heus tu
Quidam ait, ignoras tel, an vt ignotum dare nobis

Verbo

Verba putas legenti mi ignosce, Manius inquit.
Stultus, credo, & improbus hic nostri *amor est, dignusq; notari*
Qui sua non sentit oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum rebus tam sævit acutùm?

Nam quod cernit acutùm, cum talpis & vespertilionibus illis est (id est, cum cæcis & luscis) apud *Esaiam.* 2. 20. Sic enim disputat. Si in libro Homiliarum Ecclesiæ Anglicanæ, publicâ auctoritate edito, tomo priore, Homilia de adult: part. 2. dicatur & de divortio illo *Dent.* 24. v. 1. quavis de causa fuisse, & de Servatoris exceptione ob adulterium in prohibitione divortij, illud adulterium fuisse capitalis noxę; certè *Howsonus* talem thesim tueri, quæ vtriq; horum dictorum contradicat, nequaquam levius est quam furijs agitari &c. Atqui loco prædicto vtrumq; horum dicitur, & *Howsonus* talem thesim tuetur, quæ vtriq; horum contradicat, ergo id agit *Howsonus* quod nequaquam levius est quam furijs agitari. Inspiciatur locus, prolixior enim est, & iurato de calumniâ non indignum credere.

Ad maioris confirmationem, primò adducit auctoritatẽ pientissimorum principum *Edwardi sexti*, & *Elisabethæ*, quorum vterq; tum eo quod in edictis suis specialitèr Homilias illas vt pervtiles publicè in Ecclesia legendas commendarunt, tum eò etiam quod librum communium precum, in quo de Homilijs illis similitèr statuitur, approbarunt, Homilias quoq; illas approbarunt. Addit et *ordinum Anglię in Parlamento* approbationem, vbi liber communium precũ confirmatur, in quo (vt dixi) de Homilijs illis cavetur. Addo etiam vbi confirmantur articuli Synodi Londinensis habitę *Anno* 1562. in quibus Homiliæ illæ similitèr approbantur. Ad hæc subiungit subscriptiones totius Anglicani ordinis Ecclesiastici, quæ & articulos illos, & librum communium precum approbarũt. Nec omittit ipsius Synodi Londinensis, quæ articulos illos prima proposuit & decrevit, auctoritatem.

Ex quibus omnibus testimonijs nihil certè sequitur, nisi auctoritatem sacram apud Anglos de Homilijs illis *duo* statuisse

Quid dignum tanto feret hic savitor hiatu? Certè (quod & altera causa est cur considerandus hic locus) non magis puerperi illi montes AEsopici ridiculi, in mure ridiculo: vt mihi quidem iam pænè persuaserit, in omni vehementia, quæ plenior æquo est, ventum & simulationem subesse; ita vt ne moveat quidē magis, quā cum --*vocem comœdia tollit,*

Iratusq́; Chremes tumido delitigat ore.

Quid enim, nō intelligit nos omnes sentire ipsum huius criminis teneri, cuius *Howsonum* ita tragicè accusat? Sententiolam vnam & alteram reperit in Homilijs publicâ auctoritate Ecclesiæ Anglicanæ editis, his putat *Howsonum* contradicere, & ita etiam iudicijs *Edwardi sexti*, *Elisabethæ* Reginæ, *Parliamenti*, *Synodi Londinensis*, & eorum omnium qui libro communium precum & articulis *Synodi Londinensis* subscripserunt. Horum enim omnium indicijs Homiliæ illæ aut expressè aut implicitè approbatæ sunt: vt qui ijs, idem & his contradicat, & infami *Bonnero*, qui ijs se opposuit faveat. Ita si Homiliæ quoq́; illæ dogma aliquod continent, cui *Pyus* ipse contradicit, certè ex ipsius ore gravia illa omnia in ipsum redundabunt. Videat ergo apologiam contra Dominum *Io. Bridges* nunc *Oxoniensem Episcopum*, vbi, p. 116. reprehenditur harum homiliarum dogma, de licita Patrum sub lege Polygamiâ. Consulat & libri sui, p. 33. lin. 29. & præcipuè p. 3. lin. 29. vbi expressè dicit polygamiam in lege planè prohibitam: et si quid sentit, erubescat. Videat & *Statutum Parliamenti* 25. *Henrici* 8. ca. 19. & *Elisabethæ*. c. 1. vnde apparebit eam partem iuris Canonici quæ etiamnùm in *Brittannia* valet & viget, ab ipso p. 51. lin. 24. *putidissimum iusculi brodium*, in singularem *Parliamentorum* nostrorum contumeliam appellari. Nam Synodis etiam *Londinensibus*, præterquam quòd Homilijs quas illæ approbarunt deroget, quàm parùm tribuat statim pluribus dicetur. Ita quicquid de *Howsono* erit, quod restat videndum, de *Pyo* ex ipsius ore actum.

Manius abscatem Nevium dum roderet, heus tu
Quidam ait, ignoras te? an vt ignotum dare nobis

Verba

Verba putas tegemet mi ignosco, Manius inquit.
Stultus, credo, *& improbus hic* nostri *amor est, dignusq; notari*
Qui sua non sentit oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum rebus tam savit acutùm?

Nam quod cernit acutùm, cum talpis & vespertilionibus illis est (id est, cum cæcis & luscis) apud *Esaiam.* 2. 20. Sic enim disputat. Si in libro Homiliarum Ecclesiæ Anglicanæ, publicâ auctoritate edito, tomo priore, Homilia de adult: part. 2. dicatur & de divortio illo *Deut.* 24. v. 1. quavis de causa fuisse, & de Servatoris exceptione ob adulterium in prohibitione divortij, illud adulterium fuisse capitalis noxæ; certè *Howsonum* talem thesim tueri, quæ vtriq; horum dictorum contradicat, nequaquam levius est quam furijs agitari &c. Atqui loco prædicto vtrumq; horum dicitur, & *Howsonus* talem thesim tuetur, quæ vtriq; horum contradicat, ergo id agit *Howsonus* quod nequaquam levius est quam furijs agitari. Inspiciatur locus, prolixior enim est. & iurato de calumniâ non indignum credere.

Ad maioris confirmationem, primò adducit auctoritatẽ pientissimorum principum *Edwardi sexti*, & *Elisabetha*, quorum vterq; tum eo quod in edictis suis specialitèr Homilias illas vt pervtiles publicè in Ecclesia legendas commendarunt, tum eò etiam quod librum communium precum, in quo de Homilijs illis similitèr statuitur, approbarunt, Homilias quoq; illas approbarunt. Addit et *ordinum Angliæ* in *Parliamento* approbationem, vbi liber communium precũ confirmatur, in quo (vt dixi) de Homilijs illis cavetur. Addo etiam vbi confirmantur articuli Synodi Londinensis habitę *Anno* 1562. in quibus Homiliæ illæ similitèr approbantur. Ad hæc subiungit subscriptiones totius Anglicani ordinis Ecclesiastici, quæ & articulos illos, & librum communium precum approbarũt. Nec omittit ipsius Synodi Londinensis, quæ articulos illos prima proposuit & decrevit, auctoritatem.

Ex quibus omnibus testimonijs nihil certè sequitur, nisi auctoritatem sacram apud Anglos de Homilijs illis *duo* statuisse

tuisse, *alterũ* vt pervtiles legendas esse publicè in Ecclesia, *alterum* quod in synodi illius articulis habetur, *posteriorem Tomũ* (est autem Homilia illa *Pyana* in priore Tomo) *cõtinere piam & salutarem, & his temporibus necessariam doctrinã non minùs quam priorem.* In articulo enim illo 35. Synodi illius præter hæc duo nihil dicitur. In rubricâ autem libri communium precum, nihil, nisi legendam aliquam ex approbatis illis Homilijs: in ceteris autem testimonijs, nihil nisi aut articulorum illorum, aut libri precum approbatio, aut aliqua certè ipsarum Homiliarum vt pervtilium commendatio. Ita ex eo quod sacra auctoritas posteriorem tomum priori adæquavit, & vtrumq; publicè legendum vt pervtilem proposuit, *Pyus* noster grandisonam illam maiorem suam formavit. Infelicem hominem! Quasi in lectu pervtilibus libris, & etiam addo ijs, quæ nihil continent contra fidei salvificæ analogiam, non possit de loco scripturarum obscurissimo, ne tum quidem cũ de eo obiter et in transcursu agitur, irrepere falsa scripturæ interpretatio: eiusmodi saltem, ex qua opus sit homine peracuto & sedulo, vt aliquid inde noxij exprimat.

Tale est quod addit ibidem de paraphrasi *Erasmi*, quę Iudaicum divortium quavis de causa fuisse asserat: quasi non possit quicquam in ea paraphrasi contradici, nisi & Iniunctionibus regijs secundum quas aliquo illustri in loco hæc paraphrasis ponenda est, simul derogetur.

Quod ad alteram maioris accusationẽ attinet, qua *Howsoniana* thesin ad laudem & decus egregium, infamis illius *Bonneri*, eiusq; similium, esse contendit *Pyus*, nihil affert, vnde hoc probet, nisi quia iste cum suis similibus *Homilias illas ne recipierent anno primo Edwardi sexti præfractè recusarũt.* Quasi verò qui pauca, nec ea contra fidei fundamenta, in ijs falsa esse dicat, statim non esse recipiendas, aut non posse vtilitèr publicè legi asserat; aut *Bonnerianis* qui longè alio prætextu ijsdem se opposuere, faveat.

Sed videamus iam in minore prędicti syllogismi, quomodò thesis *Howsoniana* homiliam illam duplicis mendacij accu-

set

cusset. Verba Homiliæ primum ex Anglicano in Latinum fide integerrimâ trãsferamus. *Servator Christus* (inquit, Homilia illa contra adult. parte. 2. propriùs a fine) *verus et Deus et homo, legem patris sui caelestis sanum in sensum restitutum venit, & in aliis rebus multis etiam huiusce legis divina abusũ correxit. Cum enim toleratio diuturna apud Iudaeos, vt vxores adhibitum quavis de causa repudiarent, per consuetudinem invaluisset, Christus pravam illam consuetudinem emendans, docuit eum qui vxorem nisi ob adulteriũ (quod tunc ex lege capitale erat) dimitteret, & ipsum machari, et impellere quoq; illam sic repudiatam (si alteri nuberet) vt macharetur, et virum quoq; qui sic eam duceret machari.* Hæc verba, si quid egò hic intelligo, non modò non contra, sed pro *Howsono* faciunt. Sed *Pynum* audiemus.

His verbis, inquit, *dicitur Iudaeos permissionem antiquam in vsu habuisse, vt vxores quavis de causa dimitterent.* Vb. suppressum subdolè illud quod expressè additur in Anglicano *per eõsuetudinem*. (the Iewes vsed a long sufferance by custome.) Atqui hæc vox totam *Pynam* interpretationem iugulat. Indicat enim hunc abusum per *consuetudinem* irrepsisse, non per *legem*. Vnde & *abusus* dicitur, & *toleratio*, a sufferance: pro qua voce *Pynus* non rectè *permissionẽ* dixit. Nec si ex lege hoc esset, dixissent Christum legem *Matt.* 19. sanum & suũ in sensum restituisse: sed vt *Pynus* loquitur, p. 55. emẽdasse & sustulisse, nec abusum hominũ & pravã consuetudinem, sed ipsam permissionem Mosis correxisse.

Sed permissio, inquit *Pynus*, *ista, de quavis causa à nemine nisi à Mose Iudaeorum Nomothet a concedi poterat.* Imo vero expressè dicitur per consuetudinem obtinuisse. *At in alio libro publica auctoritate edito appellatur*, inquit, *permissio legis*; vbi, aut in quo libro non dicit: Sed eiusmodi permissionem, secundũ quam qui facerent, nihilominus peccarent, (qualem solam intelligit *Pynus*) etiam legis *Deut.* 24 agnoscimus. Qui enim ex solius viri testimonio vxorem impudicitiæ accusantis repudiari mulierem permittit, etiam viro (hoc quidem genere permissionis) permittit, eam quavis de causa, modo pro-

habilitèr eam adulterij insimulet, dimittere.

Sed quid hoc ad permissionem nostram, secundum quã qui faceret, conscientiam non oneraret peccato? Atenim, inquit, locus, *Mat.* 19. ad marginem verborum Homiliæ, vbi dicitur, Christum hanc consuetudinem correxisse, notatur: & locus certè *Matt.* locum *Deut.* 24. manifestè respicit. Quid faciemus isto disputatore misero, in probationibus ita frigido, in conclusionibus (flumen vt Hibernum) feruido & ruente? Iubeamus miserum esse libentèr. Sed nõne statuit Homilia illa idipsum adulterium, quod à Christo in prohibitione divortij excipitur capitale fuisse? Certè statuit. Nonne igitur saltem vnum est in ista Homilia quod cũ thesi *Howsoniana* nequit consistere? Imò vero consistit optimè. Non enim dicit *Howsonus* aliud esse, atq; aliud adulterium, sed alium, atq; alium casum ejusdem adulterij, p. 55. lin. 7. ita vt idem peccatum diversis habitis rationibus, diversimodè puniendũ esset. Sed cur ergo interserta illa Parenthesis in verbis Homiliæ? Cur, nisi ad maius adulterij odium, qui totius Homiliæ scopus?

At præterea hoc, inquit, *divortium de quo Moses cavit Deut.* 24. *esse tantùm ex causa adulterij, nullis Ecclesiis vel nostris, vel antiquioribus receptum vnquam, vel probatum est.* Nõ enim suam auctoritatem in ijs quæ à praxi remotiora sunt, nisi in præsens aliquid vrgeat, interponere solent Ecclesiæ. At de ipsa conclusione, quæ ex hâc propositione infertur necessariò, & quę sine hac propositione defendi (quod quidem intelligo) nequit, quæ & ad praxim propiùs pertinet, & *Howsoni* plus interest, statuerunt pro *Howsono*, & contra *Pyum* Ecclesiæ veteres: &, quo magis erubescat, Anglicanã ità tragicè objicient, Anglicana Ecclesia evidentissimè.

In canonibus enim Synodi *Londinensis*, tum eius quæ habita anno 1597, à serenissima Elisabetha confirmata est; tũ eius quæ habita anno 1603, à serenissimo *Iacobo primo* sub magno Angliæ sigillo nuper confirmata est, statuitur quædam separatio tantùm à toro & mensa, ita vt parti neutri liceat nouum contrahere matrimonium; id quod nec *Pyus*

ipse

ipse admittit, (vt dicemus hac commentatione quinta sub finem,) nec *Pyanæ* sententiæ auctores vllo modo admiserint; imò thesim *Pyanam* planissimè evertat necesse est. Separationem enim istam intelligunt in causa adulterij, vt interpretatur non modo praxis in Angliâ communis, sed & ipse doctissimus, & à nobis etsi dissentiens, non sine iusto honore nominãdus *Reynoldus*, in priuata ad *Pyum* Epistola, vbi ait, *iudicium Archiepiscopale, quod secundas ex diuortio ob adulterium nuptias improbabat, ex synodo illa mox secutâ anno 1597. plus iam habere virium.* Sed & ratio idem evincit necessaria. Si enim est vlla alia licita causa dimissionis præter scortationem, certè talis est quæ non minùs faciat pro secundo coniugio quam ipsa scortatio: ita si dimissio est aliqua licita, cũ illicitum est secundum coniugiũ, certè dimissio est ob scortationem, cum non licet secundum coniugium.

Parag. 2. Soluuntur duę obiectiones ex locutione Hebraicâ, qua Moses Deut. 24. v. 11. vitium in causa diuortij notãdæ.

Secunda obiectio *Pyana* p. 10. lin. 5. *Nam, vel vnum mihi locum ostendite si potes, &c.* Non potest, inquit, ostendi ne semel quidem in scripturis omnibus, vocabulum *Nervah* adulterium denotare, ergo nec hoc loco hanc rem significat: & per consequens, Moses hoc loco potius de alijs causis. Respondeo. *Primo* videtur quidem, libro primo Samuelis 20, 30. hęc vox pro *adulterio* vsurpari, quod ex *Iunij* interpretatione vel ipso inuito nonnihil confirmatur. Alioquin enim *conuitia*, sed non *turpia*, multo minùs *turpissima conuitia*, vt vult *Iunius*, in matrem *Ionathanis*, *Saul* ibi conqueretur. *Secundò*, apud *Ieremiam*, 2, 25. *discalceatio* (vbi aliqui legunt nuditatem) ipsa certè species *nuditatis*, & cuius loco commodissimè *Nervah*, id est, *nuditas* seu *nudatio* substitui possit, sine vlla adiectione *reuelationis*, vel ipso *Iunio* interprete *turpissimum adulterium* notat. *Prohibe*, inquit Propheta, *pedem* (id est teste *Iunio* crura & pudenda) a *discalceatione*, id est, inquit idē, à *prostitutione*. *Tertiò* ex 1. *Cor.* 12. 23. vbi ἀσχήμονα dicuntur mẽbra illa quæ *Leuit.* 18. & alibi passim in Hebræo *Nervah* dicuntur, constat vocem hanc Hebræam (quæ vt sciunt Hebræi prius significat *accidens* quàm *subiectum*, id est, *actionem* quàm membra per quæ actio peragitur (com-

modissimè reddi ἀσχημοσύνην: at hæc vox 1. *Rom.* 27. generaliter pro eo quod *adulterium, & similes spurcities impudicas* comprehendat, vsurpatur. Quod genus rerum suprà Apostolus ἀσελγείας & ἀκαθαρσίας dixerat.

Ita cum hæc omnia concurrant, & præterea (vt alia taceam) vox ipsa Hebræa ad hoc genus actionum frequentissimo vsu pertineat, & verisimile non sit causam a Mose indefinitam, & in incerto relictam, &, vt supra monstratum est, necesse sit Mosem loqui de eiusmodi causa, ob quam qui repudiat secundum ipsum non peccet; peccet autem secundum Mosem qui ob vllam aliam causam quam ob adulterium repudiat, vt manifestè docet Seruator *Matt.* 19. certè his omnibus non sigillatim, sed simul consideratis, vix credo poterimus, aliam *Hemsoniana* interpretatione commodiorem excogitare.

Tertia obiectio. p. 10. 11. 12. *Quod ad dictionem hanc Hebraicam &c. Nisi* inquit, *pudendorum alicuius hoc loco per Nervah denotetur, nullum argumentum ex vi vocis fingi potest: at hoc loco ne vsus quidem eorum vllus denotatur.* Minorem probat, *Primo*, quia ne pudenda quidem per vocem istam *nuditatis* vnquam notantur, nisi cum dicitur *nuditas personæ* vt patris, matris; at hoc loco dicitur *nuditas rei. Secundò*, quia nullus horum membrorum vsus notatur, nisi cum aliquid additur de *videnda* aut *reuelanda nuditate.* Ad istam obiectionem, in qua illud credo verè dicitur vocem *Nervah* non significare pudenda nisi cum dicitur *nuditas personæ* alicuius, aliter respondendum si propriè & grammaticè, aliter si impropriè & ruditis loquitur. Ac si quidem propriè loqui intelligendus est, respondeo ad maiorem: falsam eam esse, nec rectè a Pyo cũ ista de nuditate philosopharetur, ita nudam & inermem sine vlla confirmatione propositam, vel potius tantùm in Enthymemate suppositam. Aliud enim est significari in voce, aliud coniungi cum re: alioqui res etiam diuersissimę eisdem vocibus significari dicemus. Cum *vitâ* semper coniuncta est *anima*, nec tamen *vita animam* significat, aut in sua significatione *animæ* significationem includit.

Atenim

Atenim, inquiet, cum eiusdem vocis vna significatio prior est, altera posterior, & a priore per analogiam, aut per aliam aliquam derivationem *emanans*, nónne tum necesse est in posteriore semper priorem includi? imò vero ne hoc quidem admiserint grammaticorum filij, præsertim in Hebręo vbi propter linguæ angustiam, miræ sunt significationum dilatationes, & quasi evagationes. Hebræum *dâbâr* primo significat *verbum*, inde *rem*: quia eadem est veritas in oratione & in rebus: hinc *causam*, quia causa semper in re præcipua: hinc *crimen*, quia crimẽ & culpa semper in causa. Quid ergo cum *causam* aut crimen significat, disputabit *Pyau* non posse admitti hanc significationem, quia eodem loco *verbũ* significari non potest, à quo fonte ceteræ significationes emanarunt?

Sed vt hoc detur. Quomodo probabit si istud *Nervah* omnino significat *adulterium*, hanc significationem huic voci convenire, quatenus *pudendorum abusum* notat? Hoc enim penè caput & causa erroris *Pyaui*, (quòd & Hebraicæ elegantiæ non levẽ inscitiã prodit,) quod putaret hanc vocem prius, & magis propriè, significare *concretum* quàm *abstractum*, *ignominiosum* scilicet & *turpe membrum*, quam ipsã *ignominiã* & *turpitudinem*. Hinc enim in minoris confirmatione disputat. *Non significat*, inquit, *hoc loco pudendum, ergo non abusum pudendorum*: item *nihil hic de rectectione pudendorum, ergo nihil de vsu, multo minùs de abusu*. Hinc quoq; in maiore, *Nisi notat abusum pudendorum non notat adulterium*. Hæc omnia & alia alibi, ex eo fonte, quod non meminisset primam, vt dixi, huius vocis significationem, non esse *concreti*, sed *abstracti*: Vnde sequitur cum prior quęq; significatio constare possit, etsi posterior minimè implicetur, *abstractũ*, id est turpitudinem, seu impuritatem hoc loco denotari posse, etsi non quatenus *concretum* (id est membrum turpe) aut aliquid de eo, vnà denotetur.

Priorem esse *abstracti* significationem si neget (vt ipsius verbis vtar) non tam confutatione eget, quam meliore institutione. Primâ enim & maximè propriâ significatione

(vt

(vt ipse fatetur, p. 10. lin. 18.) *nuditatem* vox ista notat, vt vel vnus ille locus *Exod.* 28. 42. probat evidentissimè, *fac eis femoralia linea ad operiendũ bẽsãr Nẽrvâh carnem turpitudinis.* Vocem enim *carnis* pro ipso membro pudendo in scripturis vsurpari sępissimè, in confesso est. vt *Leu.* 15. 3. *Ezec.* 23. 20. ita ipsum quoq; *Nẽrvâh* pro pudendo membro positũ loco illo Exodi dicere insanię esset. Significat ergo hęc vox, vt dixi, *abstractum* prius quam *cõcretum.* Hinc turpitudinem & ignominiam, quia in *nuditate* ista sunt. Hinc per Hebraïsmum frequentissimum, quo *abstracta* ponuntur pro *concretis*, significat membra nuda, seu res alias nudas. Hinc deniq; quia *nuda* erubescimus plerunq; vt *turpia*, etiam illa membra sive nuda, sive tecta significat, quæ erubescenda sunt & turpia. Hæc cum postrema sit significatio, priores sine ea proculdubio intelligi possunt.

בשר
צרוה

Ita, vt ad rationem summatim respondeam, siquidem propriè & grammaticè loquamur, distinguamusq; ea quæ in voce significantur, ab ijs quæ cum re coniunguntur, maiorem prorsùs negamus. Potest enim in hac voce *adulterium* seu *impudicitia* notari, etsi pudendorum abusum non significet in *voce*, sed tantùm supponat in *re*. Causa est quia *adulterium* significat non quatenus *pudendorum* seu *cõcreti*, (quæ posterior est significatio) sed quatenus *turpitudinis* seu *abstracti* (quæ significatio prior est) notionem complectitur.

Sin vero crassiùs & rudiùs loquamur, vt ea omnia quæ cũ re necessariò coniuncta sunt in voce significari dicamus, fatebimur maiorem veram esse, sed in minoris confirmatione priore, vbi supponitur *non posse per hanc vocem notari pudendorum abusum, nisi pudenda notentur*, & in posteriore confirmatione vbi supponitur, *non posse pudendorum abusum, aut vsum hac voce denotari, nisi retectionis, aut alicuius huiusmodi mentio* sit. Respondeo vtramq; istam suppositionem falsam esse: probabilem quidem, sed tamen etiam falsam (vt ostensum est) vtramq; futurã fuisse, si in ista voce prior & magis propria esset membri pudendi, quam turpitudinis significatio: nunc autem cum contra se res habeat, neutram ne probabilem

bilem quidem esse.

Obiectio quarta minimè omnium contemnenda, talis est. *Additio vocabuli dâvâr* cum dicitur *Nĕrvāth dâvâr, significat hoc loco notarire quamvis quæ in conspectum veniens pudorē incutiat; ergo non loquitur Moses de solo adulterio.* Antecedens probat: *Primò* ex vi vocis *dâvâr quâ* inquit, *vtuntur Hebræi cū de vniversis loquuntur, & generatim. Secundò* ex loco *Deut.* 23.14. vbi iubentur egestum excrementum defodere, ne dominus qui in castris eorum versatur videat in ijs *Nĕrvāth dâvâr* nuditatem rei, id est (inquit) turpem rem, fœdamue aliquam. Prior confirmatio loco alieniore apud *Pyum* habetur p.7. nec ad hoc argumentum directè ab eo applicatur: sed veritatis studiosis nihil certè dissimulandum, cū ad hunc locum imprimis pertineat. Posterior confirmatio, & alia ad hanc obiectionem prædicta habentur. p.11. lin. penultima, & sequentibus.

Parag 3. Solvitur alia obiectio validior ex eiusdem locutionis Hebraicæ consideratione, & loci Deut. 23. v.14. comparatione petita.

Probabilis sanè obiectio, quæ & doctissimum *Drusium* permultū movit, vt in privata quadā Epistola profitetur: vt ignoscendum sanè aliquid *Pyo* nostro, dum in manuscripto ad *Gentilem*, præcipuè ex loco illo *Deut.* 23.14. tantos animos sumat. *I nunc*, inquit, *iuris Mosaici interpres mirabilis, & legem Deut.* 23.14. *de adulterio scitulis & otiosis auditoribus interpretator.* Sed vt planissimè & plenissimè simul huic tam insolubili argumento respondeatur, *primò* id certè constat, et si illud *Nervath dâvâr* significet fœditatem vllam, ita vt sordes illæ de quibus *Deut.* 23. in hoc genere contineantur; pessimè tamen ex eo infert *Pyus* hoc loco notari quamvis causam, *quæ in conspectum veniens pudorē incutiat*, (vt loquitur p. 11. lin. vltima) *quæue ab auribus oculorumue approbatione abhorreat*, (vt loquitur. p. 12. lin. 11.) *imò quæ mariti voluptatem alienet, sive corporis deformitas, sive morū incommoditas, sive naturæ sterilitas, sive aliud quippiam fuerit quod offensionem habeat.* Vt loquitur p. 13. lin. 4. Quis enim sanus hæc omnia sub genere *turpitudinis & fœditatis*, & eius fœditatis quæ maximè propriè circa pudenda inveniatur comprehendi dicat? Imò quis ferè tam insanit vt Mosem tam frigidè loqui faciat, ac

si dixisset, *si non invenerit gratiam apud maritum* (id est si exosa fuerit ei) *quia maritus invenit in ea aliquid quod odio habeat*. quis legem divinam has omnes causas vllo modo permisisse, aut tolerasse asserat?

Secundò, id quoq; mihi quidem est extra dubium non posse hoc loco illud *nuditatem rei* exponi cum *Pyo* per *nuditatem vllam*. Ex diligenti enim inquisitione nullum occurrit exemplum, vbi *dabar* huiusmodi vniversalitatem notat, nisi aut in negativa propositione, aut in propositione quæ latentem in se vim habeat negativæ. *Deut.* 2. 7. *Non indigu isti verbo*, id est *re vlla*: sic Gen. 19. 22. *non possum facere verbum*: Exod. 9. 4. *Non morietur ex omnibus quæ sunt filiorum Israel verbum*. Nam quòd Gen. 18. 14. habetur, *Num Deo est impossibile verbum*, id est *res vlla*? Certè interrogatio eiusmodi instar negativæ propositionis est. Vnde Angelus apud Lucā per negativam exprimit ὅτι ἀδυνατήσει παρὰ τῷ θεῷ πᾶν ῥῆμα.

Nec subtilior ista sanè, quàm verior observatio. Vt enim Latini, in interrogatione similitèr atq; post negationem dicunt *vllum*, qua voce tamen liberè non vtunturtita Hebræi in interrogatione similitèr atq; in negativa propositione loquuntur. Nec obscura sanè ratio cur tantùm in huiusmodi propositionibus vox ista *rem vllam* significaret. Subintelligitur enim sæpè, vt sciunt Dialectici, in terminis indefinitis signum particulare, & huiusmodi semper signum in propositionibus negativis, & in interrogationibus, longè aliter quàm in puris affirmationibus se habet. Nec interest vtrum dicas non est aliquis, an, non est vllus: nec vtrum dicas, estnè aliquis, an, estnè vllus: at in istis, si aliquis est, si vllus est: & in istis, si inveneris aliquam, si inveneris vllam turpitudinem, plurimùm inest discriminis. Qui enim dicit si aliquam turpitudinem inveneris hoc facias, addere aut supponere potest, vt ne idem facias si aliquam aliā inveneris: at cū dicimus si vllam inveneris, nihil tale addere aut supponere possumus.

Nec verò neglexisse videtur istud discrimen *Iunius*: Vnde

de capite quidem superiore, v. 14. vbi istud *Nervath davar* habetur in propositione negativa, legit, *Non est visurus turpitudinem rei vllius*. Hic autem in propositione affirmativa, legit, Quia invenit turpem rem aliquam: de industria, vt videtur, distinguens inter rem aliquam, id est, certam quampiam, & rem vllam, id est, rem quamvis. Certè si vox ista *Dâvâr* sua vi significaret *rem quamvis*, aut *rem vllam* (non autē vt dixi per subintellectionem signi particularis, quod aliquando per *vllum* exprimitur) supervacaneum prorsùs esset, quod legimus sæpè adjectivum *Col*, quod in negativis & similibus propositionibus *vllum* significat, ad istam vocē perspicuitatis causâ additum. Vt *Deut.* 23. 19. non fœnerabis vsura *col dâvar* omnis, id est, *vllius* seu *cuiusvis rei*. Vnde & Angelus apud *Lucam* cap. 1. v. 3. in re prorsùs simili, locū *Gen.* 18. 14. respiciens, vbi istud *Col* omittitur, in Græco exprimit ὑπὲρ ἀδυνατοῦσι, inquit, παρὰ τὸν θεὸν πᾶν ῥῆμα. Nam & Græcum πᾶν, imitatione Hebræorum, in hujusmodi propositionibus *vllum* significat. Quemadmodum & Hebræū *Col* quod idem est propriè quod πᾶν, id est, omne. Vnde et *Rom.* 3. 20. ὃ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ex Psal. 142. 2. ideoq; vt inter ῥῆμα & πᾶν ῥῆμα, ita inter *dâvâr* & *col dâvâr* distinguendum necessariò.

Nec minùs absurdum dicere *dâvar* significare vllā, quia aliquando significat *rem*, & aliquando per ellipsim adiectivi *col* aut *Meûmâh* significat *vllam rem*, quàm dicere ista adiectiva significare *rem*, quia aliquando per ellipsim substantivi *dâvâr* significant *rem vllam*. *Deut.* 8. 9. *Non carebis Col omni*, (id est aliquo) *in ea*: sic & *Meûmâh* (quod cum substantivo iungitur *Deut.* 24. 10.) *Num.* 22. 38. *Deut.* 13. 17. & alibi, subintelligit sibi istud substantivum *dâvâr*. Sed nū etiam *Prov.* 25. Vbi dicitur, *gloria dei celare dâvâr*, id est, *rem*, interpretabitur *Pyus rem quamvis* an *certam aliquam rem*? & cum similitèr *Deut.* 1. 22. dicitur, *Referant nobis dâvâr rem de via*, id est, vt legit *Iunius*, *Aliquid de via*, nū exponet *Pyus quidvis de via*? Sed ista, quæ, (vt ipsius verba de *Howsono* in ipsum retorqueantur,) meram linguæ sanctæ inscitiā prodere

בשרמה

dere videntur, jam tandem mittamus.

Tertiò, ad quartam illam objectionem respondeo; si legamus cum *Iunio aliquam rem turpem*, nihil tamen nec ex insolita huius signi particularis significatione, nec ex comparatione loci *Deut.* 23. 14. contra *Howsonianam* thesim, aut contra id, quod Mosem de sola causa impudicitiæ interpretatur, incommodi secuturum. *Primùm* enim de loco illo *Deut.* 23. vt concedatur rectè ibi legi *turpitudinem vllius rei* (quod tamen mox diligentiùs videbitur) etsi ibi iubeantur Israelitæ ea quæ ex aluo excernuntur defodere, ne Deus in Israele videat *Nĕrvath Dāvār*, *nuditatem rei*, non tamen sequitur, *ipsa* quoq; in isto turpitudinis genere prōprie comprehendi, vt non ad sola ea quę pertinent ad impudicitiam restringenda sit hæc locutio. Non enim iubentur ista defodi, ne Deus ipsa videat (videt enim Deus etiã altissimè defossa, cum *ei* etiam *infernus nudus sit*, *Iob.* 26. 6.) sed ne videat *in te* nuditatem vllam, id est, (siquidem ita legendum sit) vllam impudicitiam: quam certè & in signis impudicitiæ videt Deus (signum autem dico, non sordes, sed inverecundiam omnem circa sordida naturæ retegenda,) & præterea etiam in figura seu typo (si ita loqui liceat) impudicitiæ. Typica enim & ceremonialis videtur ista prohibitio inverecundiæ. Quemadmodum & carnium immundarũ & & suillæ prohibitio. Vnde & in ratione legis, id quod præcipuè & primariò intenditur, de castitate & pudicitia rectissimè significatur.

Id quod etiam evidentiùs in eo notatur, quod in ejusdẽ legis ratione immediatè præcedit, *vt sancta sint castra tua*: de qua voce doctissimus Mercerus sæpè ait eam opponi τῷ *Tāmê*, quod verbum in superioribus concessimus (etiam vrgente hoc ipso *Pro*) sæpè dici de pollutione impudicitiæ. Vnde & addit Mercerus: *sæpè*, inquiens, *opponitur* τῷ *Tāmê vt sit purus, castus, incontaminatus, impollutus, exors vitiorum & sordium*. Hinc & nomen ἀκαθαρσίας, quod peculiariter impudicitiam notat, vt patet *Rom.* c. 1. v. 24. ex oppositio

San-

Sancti spiritus, spiritibus immundis tribuitur. Et *Apoc.*14.4 per *castitatem*, omne genus sanctitatis, *Iunio* interprete significatur. Et ex altera parte. 1 *Thess.*4.3. *sanctificatio* pro *castitate*, *Hæc est voluntas dei sanctificatio vestra vt abstineatis à fornicatione*, & v. proximo, *Vt sciat vestrum vnusquisq; vas suum possidere ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ, in sanctificatione & honore.* Vbi ita honorem, id est, reverentiam & verecundiam (cuius in *castitate* plurimum est) cum sanctificatione coniũgit, vt ad *Rom.* primo, cum impuritate ἀτιμίαν. Non obscurè credo causam innuens cur nomen sanctitatis castitati quasi peculiare esset, quod vt in illa, sic in hac quoq; præcipua sit honoris & reverentiæ notio.

Quanquam, si quod res est dicẽdum erit, ex superabundanti hoc totum de huius loci *Deut.*23.14. sententiâ disputamus. Detur enim ibi ipsas alui sordes dici *Nervah*, certè ita hoc dandum, vt eodem loco eædem ἀσχημοσύνη dicantur. Quo verbo Septuaginta hoc loco vtũtur. Ita ex hoc loco non magis sequitur vocabulum *Nervah*, quam vocabulũ ἀσχημοσύνης *impudicitiam* alibi non significare. At ἀσχημοσύνη. *Rom.*1 27 extra omne dubiũ *impudicitiam* notat, non obstante alia quacunq. huius vocis significatione: ergo & *Nervah* similitèr, non obstante loco illo *Deut.*23.14. *impudicitiam* alibi notare poterit.

Atenim vt locus ille *Deut.* 23, 14. *Pynum* nihil adiuuet, nonnè signum indefinitum, cum dicitur, *aliquam rem turpẽ*, satis indicat, non posse solam impudicitiam loco isto *Deut.* 24.1. intelligi? Imò verò, *primum* cum non legamus *quamvis* sed *aliquam*, restrictio quædam est ad certum genus. *Deinde* etiam scimus vocum generalitatem, vbi alia notare nequeunt, pro subiecta materia solere restringi. Sic enim illa, *mulierem accedere, tangere, cognoscere*, restringuntur. Sic quoq; *sedere Deut.*23. pro exonerare alvum. Sic alibi *facie alicuius videre*, pro, cum eo pugnare. Hic autem aliter quam de impudicitia accipi non posse ex eo colligitur, quod suprà copiosè docuimus Mosem loqui de eo quod vt *licitum* concedit,

dit. Ita cum ſolam cauſam impudicitiæ vt *licitam* concedit, de ea ſola loqui intelligendus erit. Adiuvat & linguæ ſanctæ modeſtia, quæ in turpibus parciùs loquitur: & vis quoq; vocis Hebrææ, quæ res Venereas peculiariùs reſpicit.

Nec alienum, plura hic genera fœditatis quæ ad adulteriũ omnia referantur notari; cum ſciamus libidinem ad varietates ingenioſiſſimam ſemper fuiſſe; (vnde *Heliogabalus* ille *Varij* nomen invenit) & præterea in iſto nomine *nuditatis* ſeu *impudicitiæ* comprehendamus, nõ modò ea flagitia quæ quis committat, aut cum perſonâ non ſibi coniugatâ, aut ἀλλοφύλῳ (vt loquitur Pythagoras ἀποχὴ γάμου μετ' ἄλλου, μετ' ἀλλοφύλου,) ſed etiam alia multa, vt ſi proprio marito morbum menſtruum diſſimulans, ignaro ſe exponeret. Item ſi aut obortum ex induſtriâ faceret; aut commune lavacrum cum viris impudentèr nuda haberet: aut vivente adhuc marito, cum aliquo qui eam poſt mortem mariti duceret, paciſceretur, aut poſt viri interdictum obnoctaret ſæpiùs, aut a ſuſpecta aliqua familiaritate ſe non abſtineret: & huiuſmodi alia quę etiam in iure Civili, Cod. lib. 5. de Repud. l. Iubemus, & alibi pro certis adulterij ſignis præſumuntur. Non enim idiotiſmo Hebraico repugnat, *vt aliquam aut vllam impudicitiam*, interpretemur *aliquod* aut *vllum evidens ſignum impudicitiæ*.

Quanquam, vt iam ad illud accedamus, cuius in reſponſione noſtra ad obiectionem iſtam *quarto* loco *Pyus* admonendus eſt: videtur certè nihil neceſſe vt legamus aut cum *Iunio, turpem rem aliquam*, aut cum alijs, *aliquam fœditatem*: ſed potiùs *rem*, id eſt, crimen & reatum turpitudinis aut fœditatis. Non quidem vt alias lectiones damnemus: poſſunt enim ad iſtam commoda interpretatione revocari: ſed cum ex vi Hebrææ locutionis tota iſta diſputatio petatur, licebit ex bonis tranſlationibus, vnam quæ ad propoſitum efficacior ſit, ſi propriùs ad Hebræum accedit, præ alijs eligere & obtinere. Certè ſi iſtam lectionem ad ſententiam Moſaicam magis accedere, & naturæ locutionis Hebrææ magis convenire apparebit, confecta res erit: nec ſolum *Pyus* iſta inſolu-

ſolubilis obiectio nulla erit, ſed etiam pro *Howeſoviana* ſententia firmiſſimum hinc argumentum ſuppetet. Sin vero iſtud non apparebit, ſtabit tamen nihilominus (vt ex ſupra dictis videre eſt) integra *Pyana* iſtius obiectionis ſolutio; ſtabit etiam ſine iſta lectione illud quod ab *Howſono* ex hoc loco ducitur pro ſua ſententia argumentum: vt ex ijs quæ commentatione ſexta *Parag.* 1. ad confirmationem tertiam dicenda ſunt, evidenter apparebit.

Nec difficilis ſanè huius lectionis confirmatio, modò illud detur, quod negari nullo modo poteſt, iſtud *Nervath dâvâr* poſitum eſſe pro *devar nervah*. *Primum*, vt ne quid ſumatur ἀγαπόδοτον, nonne ipſius *Pyi*, & eorum omnino omnium qui legunt *fœditatem aliquam*, aut *turpitudinem aliquam*, aut *aliquam rem turpẽ* confeſſio probabit iſtud *Nervath dâvâr* poſitum eſſe pro *devar nervah*, id eſt *nuditatem rei*, pro *re nuditatis*? Vt enim cum *filium perditum* Hebræi ſignificare volunt, dicunt *filium perditionis*, & cum *aquas quietas* dicunt *aquas quietis*, & cum *ſolum gloriſum*, dicunt *ſolum gloriæ*, & ſexcenta alia: ita Moſes ſi rem aliquam turpem dicere voluiſſet, magis quidem vſitato more locutus fuiſſet, ſi dixiſſet *rem aliquam turpitudinis*, quam *turpitudinem rei alicuius*. Fatentur ergo hi omnes, quemadmodum *Junius* notâ marginali apertè profitetur, hypallagen hoc loco eſſe, & nuditatem rei poſitam pro re nuditatis: cum Hebræi in huiuſmodi locutionibus libentiùs *adiectum* quàm *ſubiectum* per caſum genitivum exprimant.

Nec tamen inſolens, aut difficilis huiuſmodi hypallage. *Deut.* 22. 14. in re prorſùs germana ſimilẽ inverſionem habemus, *Si impoſuerit ei* (vt legit Arias Montanus) *cauſationes verborũ*, id eſt, verba, ſeu res cauſationum ſeu accuſationũ, res ſcilicet accuſatorias, ſeu criminoſas vt explicat Anglicana tranſlatio. *Dan.* 11. 6. *Non obtinebit fortitudinem brachij*, id eſt, brachium fortitudinis, ſeu fortè: & alibi, *ſervaſtis cuſtodiã præcepti*, id eſt præceptum cuſtodiæ, ſeu cuſtodiendum. Et *Num.* 30. 14. *Iuramentum ligaminis*, id eſt, (*lumis* hic quoq; hypallagen confitente) ligamen ſeu obligatio iuramenti.

Hoc

Res nuditatis pro reatu nuditatis, id est, impudicitiæ.

Hoc igitur, ex eorum qui contra nos sentiunt sententiâ sumpto & posito, *nuditatem rei*, pro re nuditatis hoc loco vsurpari; deinde etiam assumpto ex ijs quæ ante dicta sunt, vocem *dâvâr* ex sua vi non significare *rem quamvis*, aut *rem aliquam*, (sed tantùm *rem* sine adiectione signi, quod, vt pro loci circumstantijs varium subintelligitur: ita si locus ita postulat, omnino non subintelligitur, videamus tandem quid hinc sequatur: Illud certè, vt istud *aĕvăr nervah*, id est, *rem nuditatis* interpretemur reatum seu crimen nuditatis, seu impudicitiæ: vel (vt *Servator* hunc locum *Matt.* 5. 32. explicans, ad verbum reddidit, vim vocis *dăvâr* quę propriè λόγος, id est, *verbum* significat aptissimè exprimens) λόγον πορνείας.

Primum enim illud constat, *Servatorem Matt.* 5. 32. locum istum Mosaicum interpretatum fuisse: quemadmodũ & Ieremias 3. 8. vbi locum hunc *Deut.* 24. directissimè intuetur, de libello repudij loquens, *Propter* inquit *omnes causas* scortationum eius, seu quibus scortata est, vbi per phrasim *Servatoris* διὰ λόγους πορνείων Prophetam commodissimè interpretari possumus. Deinde & illud æquè constat; quo modo *Servator* voce λόγου vtitur, cum dicit παρεκτὸς λόγου πορνείας, eodem modo & apud Hebræos vocem *dăvăr* ἐμφατικῶς vsurpari. Quemadmodum enim etymo, & propria significatione, ita & hac quoq; translatione hæ duę voces cõveniunt, vt vtrâq; generale quiddam notetur, quod vel *rationem*, vel *rem*, vel *negotiũ*, vel *causam*, vel *crimen* (quẽ admodum & αἰτία *causa* etiam *crimẽ* significat) vel aliquid consimile interpretemur.

De Græca voce præter illud *Mat.* 5. 32. (vbi *causam* seu *rem*, id est, crimen seu reatum, quomodo *reus* à *re* dicitur, commodissimè interpretari possumus) exempla sunt. *Act.* 15. 6. ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου, vbi *Beza* legit *de hoc negotio*. Lucas autem ipse suprà vocaverat ζήτημα, *rem controversam*. *Philip.* 4. 15. οὐδεμία μοι ἐκκλησία ἐκοινώνησεν εἰς λόγον δόσεως καὶ λήψεως, εἰ μὴ ὑμεῖς: *quod ad rationem vel negotium dati vel accepti*. His addi potest quod λόγος pro *causa* & *ratione* apud

pro-

profanos scriptores passim vsurpetur: & pro *respectu* sæpè, seu *conversione animi* ad aliquid, quod huic quoq; significationi apud *Mat.* convenit. *Demosthenes* de *corona*, εἴπερ δίδχεις τῷ μέλλοντος ἀκούειν λόγον, & Callimachus, τῆς δ' ταλαίνης νύμφης ὡς ἀγαθέων, ὃ λόγος, ἐπ' ἀριθμὸς. Theocritus, ὅτ' ἐν λόγῳ, ὅτ' ἐν ἀριθμῷ. Quomodo & *Act.* 20. ἐμὸς λόγου ποιοῦμαι.

Iam in Hebræo quoq; *dâvâr* huiusmodi vsus frequentes esse, (vt notissimum illũ vlum omittam, quo *rem* significat) docent plures loci in sacris literis. *Num.* 25. sub finem capitis, plagam super *dâvâr*, *super verbum* Pehoris, & *super verbum* Cosbi: quomodo hoc interpretabimur nisi ob causam, id est, ob crimen (vt dixi αἰτίαν crimẽ esse) Pehoris & Cosbi? *Jerem.* 44. *v.* 4. *Ne quæso faciatis dĕvâr, rem abominationis istius*, id est, ne admittatis crimen tam abominabile. *Exod.* 4. *Credent verbo signi sequentis*, quid est, nisi argumento seu rationi signi sequentis? *Gen.* 43. 17. *Propter verbum argenti, Iosephi* legit de causa illius pecuniæ. Illa deniq; *propter verbum veritatis, propter verbum gloriæ tuæ, Psal.* 75. & *Psal.* 45. & alibi, quid sonant, nisi propter causam veritatis & gloriæ?

Similitèr planè & altera vox Hebræa, quâ *Ierem. c.* 3. *v.* 8. locum hunc *Deut.* vt diximus respiciens, vtitur, pro *causa* passim vsurpatur: & ita (quemadmodùm in voce *dâvâr* ex allatis exemplis apparet) vt aliquando redundare videatur. *Gen.* 21. 26. propter *ôtbôth, propter causam quiei*: & *Ios.* 14. 6. propter *causam* mei & tui. Vnde Septuaginta nonnunquã omittunt; vt loco illo *Gen.* 21. περὶ οὗ ὤμοσάν: id quod & in voce *dâvâr* sæpiùs fit. Vnde & hoc loco *Deut.* 24. siue legamus, *quia invenit rem vel causam turpitudinis*, siue, *quia invenit turpitudinem*, etsi illud *aliquam* non subintelligimus, tamen Hebræo nulla fiet iniuria.

Sed vt omnia colligamus, cum *Nĕrvah* hoc loco *impudicitiam* denotare commodissimè possit, vt suprà ostendimus; & *dĕvâr* causam, seu reatum notet; & *Nĕrvâh dâvâr* positum sit hoc loco pro *dĕvâr Nĕrvâh*; quid impediat quo minùs legamus, *Quòd invenerit in ea rem turpitudinis*, & ex-

ponamus *reatum impudicitiæ*? Præsertim cum signum particulare, quod interserunt legentes *rem aliquam*, planè *addititium* sit, & in vi vocis Hebraicę nihil hoc loco habeatur, quod exigat vt potiùs legamus τινὰ λόγον, quam τὸν λόγον; cumq; (vt ex attenta eorum consideratione quę suprà diximus facilè apparebit) etiam, loco *Deut.*23.14. similitèr interpretari possimus *rem turpitudinis*, per *reatum impuritatis*, seu *impudicitiæ*: & postremò, quod instar omnium est, cum ipsius Servatoris, & Ieremiæ interpretationes huic lectioni suffragentur.

Parag. 4. Solvitur obiectio ex verbis vertertij, *si maritus posterior oderit eam.*

Reliquæ obiectiones & vrgent leviùs, & solvuntur faciliùs. p.13. sic disputat *Pyus. Quod dicitur, v.3. Si maritus posterior oderit eam, ἰσοδυναμεῖ & æquiparatur ad id quod de priore marito dixerat, Quia invenit in ea rem turpem. At exosam esse non significat adulteram esse, cum sit nihil nisi nō amari, ergo & illud, Quia invenit rem turpem ad solum adulterium restringi nequit.* Ad maiorem respondeo, cum illud *non invenire gratiam in oculis mariti*, id est, ab eo non amari, idem sit (vt rectè hoc loco *Pyus*) *atq; odio haberi*, certè si alterum quoq;, scilicet *invenire turpitudinē* in muliere, nihil sit nisi *eam odio habere*, insignis erit apud Mosem tautologia: vt dicat, si oderit eam, quia oderit eam: inventio enim turpitudinis disertè causa odij ponitur, v.1. Sed cum his quoq; verbis, v.3. *Si oderit eā*, commemoretur causa divortij, cur non eandem causam cū superiore intelligeremus? Respondeo, eandem sanè intelligendam esse, sed non ideò statim sequi, vt eadem his verbis commemoretur. Plura enim sæpè innuuntur intelligēda, quam quæ dicuntur, aut commemorantur. Certè si in primo versu legendum, *si scripserit, &c.* non fuisset plus causæ, cur in primo. v. quam cur in tertio, iusta esset causæ commemoratio: nunc autem aliter se habet. Nam in primo versu, vbi repudium, non omnem, sed aliquam ob causam permittitur, opus erat expressiùs notari causam: at versibus sequentibus, vbi cavetur ne repudiata, & secundò nupta, & deinde secundò repudiata, ad priorem redeat, satis erat de causa secundi repudij breviùs innui: cum & lex ista teneat,

at, quocunq; modo, aut quacunq; de causa secundum repudium factum fuerit: & præterea de causa tam paucis ante verbis cautum fuisset.

Sed *Deut.* inquit 21. v. 14. quod dicitur, *Si nõ placuerit tibi in ea*, id est, si non amaveris, aut si oderis eam, absolutè divortij causam explicat; vbi nulla ex circumstantijs significatio adulterij, aut inveniendæ huiusmodi turpitudinis. Respondeo ex *Deut.* 22. 15. vbi præsumitur exosam apud maritum manere, & prolem marito parere, manifestũ est, Mosem non supposuisse odium mariti, vsitatam fuisse, multo minùs tolerandam, aut concedendam divortij causam. At cur ergo hoc modo loquitur *Deut.* 21. 14? Quia enim ibi, vt ex *Iuniana* annotatione respõdeam, nec de iusta, nec de legitima coniuge agitur: sed de captiva ex gente hostili, quacum *Deut.* 7. coniugium prohibitum, vt suprà commentatione *tertia*, *Parag.* 8. annotavimus: in illicitis autem viri & mulieris coitionibus, cum Deus eos non coniunxerit, vel levioribus de causis, &, vt *Iunius* in hunc locum notat, facilior em, quam in iustis matrimonijs dimissionem admittimus.

Obiectio quinta: *Supponitur non esse polluta, antequam alteri nupserat. v. 4. at per pollutionem hoc loco adulterium intelligendũ*, vt Num. 5. 13. *ergo hoc loco supponitur, non esse adultera antequã alteri nupserat.* De minore huius syllogismi nihil opus hoc loco agimus, cum commentatione *tertia*, *Parag.* 4. copiosè ostenderimus, eam nec ex loco *Num.* 5. 13. nec ex alijs similibus satis confirmari, quin aliæ sint huius vocabuli interpretationes probabiliores. Sed minorem istam tamen hoc loco veram esse supponemus. Maiorẽ eâdem. p. 14. duplici confirmatione munit. Primùm enim ita disputat: *Non prius dicitur polluta quam alteri nupserat, imò in illo, post quam, v. 4. notatur tempus quando capit pollui, post quam scilicet alteri nupserat, ergo antequam alteri nupserat, supponitur impolluta.* Respondeo, vt illud taceam quod commentatione 3. *Parag.* 4. exposuimus, non improbabiliter legi *post quam declaratum iam est eã polluisse se*, quę sanè lectio antecedentem huius enthymematis evertit: saltẽ ipso *Pyo* confitente, idq; locis certè quã plu-

Parag. 5. Solvuntur quatuor obiectiones ex vna phrasi Molaica petitæ. v. 4. vbi dicitur, postquã factum vt polluretur.

plurimis, & hac eâdem. p. lin. 18. legendum ex *Iunio*, *postquã factum est vt pollueretur*: at antecedens certè illud *Pyi* contrarium sumit, nempe ita legendum non esse, sed potiùs, vt habet *Pyus* eâdem hac p. lin. 12. postquam polluerit se. Ex altera enim lectione hoc tantùm credo eliciet, in ijs verbis notari tempus, cum primùm dicatur mariti facto hoc effectũ, vt pollueretur. Et hoc certè, nihil obstante, cõtigisse poterat, vt suo facto (quod vel amplius est quam illud alterum ad adulterium convincendum, vt docet *Pyus* lin. 24. huius paginæ) etiam ante nuptias istas polluta esset.

Altera maioris prædictæ confirmatio sequitur eâdem. p. lin. 18. *Licebat*, inquit, *repudiatam reducere antequam se pollueratiimò verò* (hoc enim sine quo ratio ista prorsùs nulla est, a *Pyo* insigni negligentiâ omissum, cãdoris causâ addemus) *non licebat repudiatam reducere postquam se polluerat: At licebat reducere repudiatam antequam alteri nupserat*, ergo *antequam alteri nupserat non erat polluta*. Ad maiorem, vbi ait repudiatam reduci licuisse antequam se polluerat, & non postea: (hoc enim *non postea* nisi suppleatur, ridicula ratio erit) respondeo, cum huius propositionis vnicum fundamentum ponat in illo *postquam* &c. quod habetur v. 4. certè in ista propositione, quemadmodum in antecedente prioris confirmationis, supponit non esse legendum, *postquam factum est vt pollueretur*, (quomodò tamen & ipse statim, & passim legendum asserit) sed potiùs, *postquam polluerat se*. Prior enim lectio tantùm probat, non licuisse reduci postquã mariti facto effectum erat vt pollueretur: vt autem reduceretur postquam suo aliquo facto polluta esset, nihil impedit. Ita in vtraq; ista confirmatione, quod pro communi fundamento sumit *Pyus*, planè contradictorium est ei quod hac eâdem. p. lin. 24. vnicum sextæ obiectionis fundamentum ponitur: imò ei quod multis in locis alibi constantèr asserit, p. 22. lin. 2. p. 27. lin. 14. & p. 55. lin. 15.

Nec verò aliud quasi agens, & tantùm ex consequente, his tot locis libri sui contradicit: sed disertè sanè & seriò. Tanti scilicet apud eum fuit hanc obiectionem constitue-

re.

se. *Non*, inquit, *dicitur postquam ab hoc homine, aut hoc vel illo modo polluatur, sed absolutè & vniversim, postquam polluerat se.* Quorsùm hæc in medium huius loci (vbi contendit mulierem non ante pollutam haberi, quam alteri nupserat) interserereret, nisi vt nostræ exceptioni occurreret, qui non inviti cõcedimus, nõ antè per maritum, dum eam repudiaret, factum vt polluereturr, vtcunq; suo tamen facto aliquo potuerit etiam ante fuisse polluta? huic exceptioni vt occurrat, cõtra ea quæ toties asserit hoc loco, quasi somnians verba prædicta inserit. Non dicitur, inquit, *postquã ab hoc homine*, imò verò, si ipsi credimus, hac eâdem pagina, lin. 27. dicitur, postquam a marito, & sic supplet *Iunius*. Addit *Pyn*, *non dicitur postquam hoc vel illo modo*: imò verò, si ipsi credimus, hac eâdẽ pagina lin. 18. significatur & modus per quem polluta evasit, *dum mariti iniustitia eiecta, ingratis coacta est ad secundas nuptias confugere*. Relegat verò *Pyn* hanc suam paginam 14. & dicat vtrum eam vigilans scripserit.

Primùm enim quale est illud, quod in posteriore quam dixi confirmatione, cum sumenda esset maior falsissima, eã quidem dissimulaverit, & eius loco aliam (veram quidem, sed quæ ad rem nihil attineret) substituerit. *Deinde* quis nõ indignetur in refutatore tam negligente, qui vtramq; confirmationem huius obiectionis *quintæ* eo fundamento niti voluerit, cuius planè contradictorium in obiectione sextæ, quæ statim hac eâdem paginâ subijcitur, pro fundamento sumit, idq; vt ostensum est, disertissimis verbis, & manifestâ orationis oppositione? *Tertiò*, quod hac eâdem pagina. lin. 13. dicit illud, *postquam se polluerat, non tam esse causam reddẽdi, quare vxor non sit reducenda, quam tempus signantis, a quo reductio incipit esse illicita*: Quomodo hoc reconciliabit cum eo quod habet. p. 35. lin. 17. *αἰτιολογίαν* esse, seu explicationem causæ, quæ tota eò collimet vt doceat, cur non sit reducenda? Certè enim quæ adduntur, *Quia res abominanda est &c.* generaliùs & communiùs dicta, ab eo dependẽt, quod dicatur factum vt polluta esset: & tantùm notant, nõ admittenda quæ Deo abominanda sunt, & abominandum

esse vt iam polluta reducatur. Hæc cum faciliora sint, certè præcipuum ἀιτιολογίας in eo, *quod iam polluta sit*: vt qui istud ad ἀιτιολογίαν parùm pertinere velit, certè totam ex hoc versu ἀιτιολογίαν tollat. *Quartò*, cum eâdem hac pagina negat licere reducere eam quæ polluerat se, pollutionē autem interpretatur adulterium, nonne disertè negat licere reducere adulteram? At certè istud probatissimi quiq; auctores asserunt. Et in ijs *concilium Arelatense*, & *Augustinus* 2. ad *Pollentium* multis. *Zanchius* lib. 4. de operibus Dei c. 1. & *Beza* de divortijs: & P. *Martyr* loc. com. class. 2. c. 11. sect. 36. Vnde, & cum secundas post divortium ob adulterium nuptias parti innocenti, statim quidam horum concedant: nocenti, tamdiu adimunt, quamdiu innocens manet in viduitate, quia, inquiunt, adhuc pendet reconciliatio (vt est apud *Sohnium* in thesibus de repudio) certè Micholis vxoris suę culpam, cum, vt patri morem gereret, a *Davide* minimè repudiata, alteri nupserat, Rex pius rectè condonavit, eamq; ad se recepit.

At istius adulteræ, cui *Pyus* ob adulterium negat reditum ad priorem maritum, culpa longè minor est, quam Micholis illa: ante enim secundas nuptias putat puram fuisse: & in secundis nuptijs, vt statim asserit, non est voluntarij adulterij insimulanda. Quomodo ergo huius pollutionis, huius adulterij nomine non licebit eam reduci? Quam periculosè hoc a *Pyo* dictum sit, indicat & vafra illa, quam dixi in posterior confirmatione, dissimulatio propositionis præcipuæ, & nimis certè manifesta in manuscripto ad *Gentilem* tergiversatio: *falsò*, inquit, *mihi impingis quod ne semel velim adulteram retineri*: *Vbi*, inquit, *id ego desiui*? Certe loco illo, p. 58, quem solum defendit, nulli lectori non videatur istud definire: & hac pagina 14. lin. 14. cum dicit istam vocem, *postquam polluerat se, esse signantis tempus à quo reductio incipit esse illicita*, nōne disertè dicit non licere reducere vxorem postquam polluerit se? Ita cum hoc eodem loco, & passim per pollutionē istam adulterium intelligat, quomodo recusabit, quin hoc loco dixerit non licere vxorem reduci postquam adulterium

rerium commiserit? Sunt quoque & aliæ huius paginæ 14. negligentiæ insignes, vt in obiectione proxima facilè patebit.

Sexta obiectio eâdem pag. 14. lin. 24. *Quæ facta est*, inquit, *polluere se, voluntariæ pollutionis* (id est, adulterij vt toto hoc loco interpretatur) *insimulari non debet. At hæc facta est polluere se*, ergo *voluntaria pollutionis seu adulterij insimulanda non est.* Respondeo, primò ad conclusionem, non concludi controversum: tantum enim cõcludit, in eo adulterio, quo dicitur per repudium facta se polluere, id est, in secundis nuptijs, non esse voluntarium adulterium. Nos autem hoc totum damus, & addimus, ne adulterium quidem esse. *Secundò* non modò non controversum hoc syllogismo concluditur, sed illud certè concluditur, quod a proposito huius loci *Pyani* maximè abhorreat. Probat enim ante non fuisse adulteram. *Primò* quia, nunc primum in secundis nuptijs incipit esse adultera: *deinde* quia in secundis nuptijs (hoc enim necessariò inferendum, cum verba Mosis de ijs interpretetur) non est voluntarium adulterium: at istud certè prius argumentum destruit: nam si voluntarium non est, nec adulterium est. Tolle voluntatem de medio, inquit Baldus, & omnis actio est indifferens. Et Augustinus de vera relig. c. 14. Vsque adeo peccatum voluntarium est malũ, vt nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium. Vnde & ipsum originale peccatum, ne quod peccatum videatur involuntarium, ab ipso Aquinate habitus, id est, habitualis voluntas esse agnoscitur. Atenim, inquiet, quę nunc tãdem post secũdas nuptias dicitur per priorem maritum facta polluta, nonne præsumitur ante ne omninò quidem fuisse polluta? Minimè verò. Qui enim eam ex hac qnidem causa nunc primùm polluẽ dicit, ex alijs causis nihil negat quin potuerit ante fuisse polluta.

Septima quoq; & *octava* obiectio eâdem ista interpretatione phraseos Mosaicæ nituntur. Quasi in illo, *postquã factum vt polluueretur*, Moses dixisset, postquam maritus prior per iniustam repudiationem fecit iam eam mœchari. *Septima*

ma obiectio habetur p. 27. *Vides*, inquit, *Mosem* (hoc scilicet dicto, ex eo enim hoc concludit) *longè ante Christum, vxoris, ex præscripto permissionis istius suæ, repudiata, posterius coniugiũ non obscurè adulteriũ definiisse & declarasse*, ergo, *divortia de quibus in ea lege agebatur, quæq; ex illa permissione fiebant, extra causam adulterij fuisse necesse est: nisi idem sit & iussum, & permissum, quo nihil potest absurdius cogitari.* Hactenus *Pyus*: Ariolo certè aut Mercurio opus est, vt ex isto Enthymemate consequẽtiam vllam syllogisticam expiscetur. Nihil enim potuit negligentiùs, aut magis in contemptum dialecticorum proponi. Sed duo fortè subintelligit, & non sine grandi sua culpa supprimit: *alterum*, divortium eius quæ secundò nubens adulterium committeret, non esse iussum sed permissũ: *alterũ*, adulteræ divortiũ esse iussũ. Ex istis suppositis vera erit consequentia Enthymematis *Pyani*, quæ, nisi istis suppositis, planè misera est: ita fortè, (nam affirmare nõ ausim) hæc est vis istius obiectionis septimæ.

Posterius coniugium mulieris, ex præscripto loci Deut. 24. *repudiatæ, adulterium est, ad eoq; divortium quod istud coniugiũ præcessit, non est iussum, sed permissum.*

At adultera divortium iussum est: Ergo.

Aut idem est iussum & permissum, aut locus Deut. non agitur de divortio ob adulterium.

In hac obiectione, siquidem *Pyus* eam in hanc sententiã concepit, primùm illud insignis vitij est, quod cum duo illa, quæ dixi, ad efficiendam conclusionem necessaria suppresserit, vnum tantùm, quod non modò falsum est, vt commẽtatione *tertia* monstravimus, sed etiam conclusionem nihil prorsùs adiuvat, expresserit. Vtcunq; enim falsissimum sit, *posterius illud coniugium adulterium esse*, verum tamen est, divortiũ & præcessit istud coniugiũ nõ esse iussũ, sed permissũ. Vnde nihilominùs, quàm si alterum quoq; verum esset, conclusio sequitur. Deinde illud, *adulteræ divortium iussum esse*, etsi consentiat cum *Pyana* sententia, quam modò exposuimus, *non licere adulteram retinere*, tamen cum thesis *Howsoniana* inclinet potiùs in contrarium, probatione certè eguit: i-

mò

mò verò cum eo quod docet *Pyn.*p.40.& p.49. adulteriũ non fuisse vllam divortij causam(quanquam hoc quoq; neget alibi)consistere nullo modo potest.

Equidem cum ita absurda ista sint,(vt quod res est fateor)non possum mihi persuadere, illam quam exposui fuisse obiectionis istius septimæ sententiam,sed aliam tamen probabiliorem,haud facilè credo quisquam coniecturam fecerit : Nisi fortè *iussum* pro *prohibito* dixerit, quo nihil ferè absurdius. Sed si hoc dixerit,ista credo sententia(vt æquali cum priore negligentia)necessariam suppresserit propositionem duplicem;vnam quidem, *Divortium illud prohibitum esse,post quod non licet alteri nubere.* Alterã verò, *Divortium ob adulterium permissum esse.* Ex his duobus, si etiã *iussum* pro *prohibito*, quod per negligentiam fieri potuit, positum dicemus,talis conficitur obiectio.

Posterius coniugum mulierũ ex præscripto loci Deut. 24. *repudiata adulterium est, ideoq; divortium,quod istud coniugium præcessit,plavè prohibitum est:*

At divortium ob adulterium permissum est. Ergo

*Aut idem est prohibitum & permissum,aut loco Deut.*24. *non agitur de divortio ob adulterium.*

Ad minorem quod attinet,fateor veram esse: sed quomodo hoc *Pyn* asserat,qui alicubi,vt iam dictum est,(etsi id incõstantissimè, vt videre est,cõmentatione 2ª.3ª.arag.1.) negat divortiũ ob adulterium secundum Mosem licuisse, hoc quidem ipse viderit.In maiore etiam,etsi contra id q̃ in ea supponitur,*prohibitum esse illud divortium, post quod non licet alteri nubere* exceptio quædã sit, quod divortiũ quoq; intelligamus,quod sit tantùm a thoro & mensa:tamen cum hìc de divortio Mosis agatur,quod tale fuit, vt potestatem iterum nubendi faceret,concedatur sanè ista suppositio: sed vnum saltem in hac obiectione negandum illud erit, posterius istud de quo loquitur coniugium adulterium esse. Quod cum ex vi vocabuli pollutionis,quod habetur *Deut.* 24.v.4.confirmet,ad commentationẽ *tertiam* nostram *Parag.*4.remittendus est,vbi istam interpretationem copiosè

& seriò refutavimus. De eo quoq; quod in conclusione diserte asserit, nihil posse absurdius cogitari, quam idem esse & permissum, & iussum seu prohibitum, quomodo pro nobis & contra ipsum faciat, docuimus commentatione 2ª. *Parag.* 3. & commentatione 3. Parag. 1. Ad quæ loca addendum, quod in hac suppositione non modò de seipso fateatur, quod levius est, sed & de Christo blasphemet, eum (siquidem verum est quod a *Pyo* & hic & alibi p. 3. lin. 28. dicitur, divortium Mosaicum per Mosem planè prohibitum esse) id dicere quo nihil possit absurdius cogitari: nam & *Pyus* statim hac ipsa pagina. 27. & Christus *Matt.* 19. 8. divortium apud Mosem permissum dicit.

Octava obiectio ex eadem phrasi Mosaica petitur. p. 31. lin. antepenultima. Si, inquit, *Moses permisit divortium ob solam scortationem, certè non peccavit, qui mulierem secundũ Mosaicam permissionem repudiatam duxit. At verò iste peccavit (ista enim nuptiæ a Mose dicuntur pollutio, id est adulterium) ergo Moses non permisit divortium ob solam scortationem.* In minoris confirmatione præcipuum huius obiectionis momentum. Ea cum loco prædicto, commentatione 3, Parag. 4. funditùs eversa a nobis fuerit, ibidem & isti obiectioni satisfactũ. Sed in maiore tamen notanda tria sunt. *Primùm*, quam miserè & calamitosè eam confirmaverit, vt eàdem commentatione 3. Parag. 2. ostensũ est. *Deinde*, quomodo hoc quoq; loco, contra prædictam suam alicubi sententiam supponat, sub lege licuisse divortium ob adulterium. *Tertiò*, notetur quam incommodè, & obscurè, vel absurdè potiùs loquatur; *Ex vi*, inquit, *illius exceptionis*, Nisi ob scortationem, *in dispensatione Mosaica inserta*; Atqui nos in dispensationem Mosaicam, inserimus quidem cautionem, *Modò ob scortationẽ*, exceptionem verò illam *Nisi ob scortationem*, non in dispensationem, sed in prohibitionem inserimus, quæ in dispensatione ex consequente continetur. Qui enim permittit divortium, modò sit ob scortationem, prohibet nisi ob scortationem. Nec leviculum sanè hoc vitium putabit, qui sententiam hoc pacto plurimũ perturbari intelliget.

Nona

Nona obiectio, p. 15. lin. 1. (Licebit enim certis de causis ordinem quem *Pyus* tenuit deserere) ex *Ierem.* 3. v. 1. desumitur. *Ad populi spiritualem fornicationem notandam apud Ieremiam, parum est eum repudiata mulieri comparari, nisi ei repudiata comparetur, qua alteri nupsit*: at eo loco (istud enim à *Pyo* omissum candoris causâ addemus) manifestus est respectus ad locum istum Deut. *ergo divortium Mosaicum non fuit ob solum adulterium.* Respondeo, conclusionem non sequi ex præmissis. *Primò* enim, potuit illud divortium (de quo agit Propheta) præsumpsisse adulterium, etsi nõ eiusmodi adulterium de quo Propheta agit, insignem scilicet & impudentem impudicitiam: qualis non est in omni ob adulterium repudiatâ, sed in ea potiùs, quæ postquam ob adulterium repudiata esset, nõ expectatâ reconciliatione, sed huius rei spem omnem amputans, alteri nupsit. Nam Prophetam ipsum intellexisse divortium, de quo agit hoc loco, ob adulterium fuisse, certo certius est: ex *ver.* 8. huius capitis, vbi ita loquitur: *Visum est mihi omnibus de causis quibus adulterata est, dimittere eam, & dare ei libellum repudij.* Quò magis certè insignis *Pyana* temeritas, quod cum ex hoc loco disputet divortium non fuisse ob adulterium, ad ea quæ paucis post versibus habentur, vbi evidentissimè contrariũ traditur, nihil responderit. *Secundò*, etiã falsa est consequentia. Quia rectissimè potest intelligi divortium ex causa adulterij, & tamen minimè otiosè additum de secundis repudiatę nuptijs. Vt ita non modò maius & gravius adulteriũ notetur, sed etiam, ad divinæ misericordiæ exaggerationem, discrimen inter homines & Deum ostẽdatur, (qui sanè præcipuus huius loci scopus) vt dicat Deum non esse ita irreconciliabilem, quin suam sponsam, etiam post repudiũ alteri nuptã recipere possit, & velit, etsi apud homines istud necius, nec mos sit.

Parag. 6. Solvuntur obiectiones ex Ieremiæ 3. Levit 22. Deut. 18. petitæ.

Obiectio decima, eâdem paginâ. 15. ex *Levit.* 22. 13. de sacerdotis filia repudiata, quæ æquè ac si vidua esset, sacratissimæ mensę paternę (quam scortatricibus præclusam oportuit) particeps erat, nihil probat nisi id, quod & nos fatemur

mur, repudiationem non fuisse iustam causam, cur pro adultera apud omnes haberetur, sive quia ob morem vitiosum etiam alias causas mariti profitebantur, sive quia testimonium vnius ad condemnationem non sufficit.

Simili vitio peccat & *obiectio vndecima*, p. 16. ex Deut. 18. Vbi sancitur, scorti pretium pro nullo voto offerendum: & *Num.* 30. 10. vbi repudiatæ vota Deus rata habet. *Primùm* enim respondemus, etsi Deus in publicis legibus repudiatā pro adultera ex causis modò dictis non habeat, nihil tamen impedit, quin eam quæ iure repudiata est, pro adultera habeat. Sed vlteriùs etiam respondendum. Vota repudiatæ ideò esse rata apud Deum, non quia innocens habetur, & proba, sed quia cum iam sui iuris sit, si quid voverit, non minus, quam si vidua esset, præstare tenetur: cum vxores, non minus quam pupilli sub aliena tutela degentes non teneantur præstare, si quid viris inconsultis voverint. Ne meretricis quidem vsquam vota omnia irrita esse vult Deus: sed tātùm ex rebus inhonestè partis, quicquam sibi quasi prædæ participi purissimus Deus persolvi dedignatur. Non enim Dei, sed Caligulæ (qui, vt refert *Suetonius*, edixit vt qui meretricium aut lenocinium facerent, publico tenerentur) imitatio est illud ex lupanaribus vectigal, quod Romę pendi dicitur.

Parag. 7. Obiectio ex Matt. 19. de σκληροκαρδίᾳ soluitur, simul cum alijs quæ eundem in finē afferuntur, ac si thesis Howsoniana adulterijs faveret.

Duodecima obiectio, ad quam sępè & libentèr excurrit *Pyus*, nunquam tamen vt eam seriò pertractet, illa est, *quod sententia Howsoniana sine adulterij patrocinio defendi nequeat*. Omitto nudarum assertionum tumidas inanitates, & exclamationum Sophisticarum (ò tempora, ò mores, p. 57.) & aliarū similium rerum prolixitates. *Prima* huius dicti, seu potiùs cōvitij ratio habetur p. 37. Deum stuprorum & adulteriorum fautorem ab ijs fieri, qui dicunt σκληροκαρδίαν esse coram Deo, si quis vxorem adulteram dimittat: hoc enim tantùm vult, cum hyperbolicè dicit, nisi ista in vxore *ferat, faneat, pulliet*. Sit sanè istud, sed quid ad rem? Primùm enim *Pyus* non minùs de nostris hominibus, quam de antiquis agit, nos autem potiùs in antiquis istam duritatem ponimus: tum quia

illorum

illorum leges sine subsidio divortij satis caverant de adulterijs: (vt fatetur et si aliquo cum errore.p.52.lin.19.) tum etiam quia plures simul habere, permissum ijs videtur: vt commentatione 3ª. Parag.9.ostendimus. *Deinde, Pyus* certè de sola dimissione agit, nos de ea nō sola, sed cum secundis nuptijs, quomodo & intelligendum Christum *Mat.*19.8.in sequentibus doceri poterit.

Tertiò, nō tam in ipsa dimissione, & secundis nuptijs duritatem istam ponimus, quam in rebus adiacentibus & circumstantibus, quæ in duplici sunt genere, alię quidem *erant*, aliæ *esse poterant*: vtriusq; generis respectu, tum quia illę *erant*, tū ne istæ *essent*, dicimus divortiū Mosaicū ob σκληροκαρδίαν fuisse permissum. Aliud enim est ob σκληροκαρδίαν aliquid permittere, vt hoc loco loquitur *Servator*, aliud sclerocardiæ aliquid permittere: *illa* permissio istam sæpè comprehēdit, sed præcipuè cavet, vt quam pauciss ima fiant ex sclerocardia, (& talis est hæc Mosaica) *ista* tantùm finit aliquid ex sclerocardia fieri: Sed quid est, inquiet, quod hac permissione cavetur ne fiat duritèr & inhumanitèr? *Primum*, ne ad cædes earum quas per leges nequirent excutere, privatâ vindictâ armarentur. *Deinde*, ne dum vxores priores exosas haberent, quæ etiam impedirent plurimùm, ne alias legitimas haberent, vagis & flagitiosis libidinibus frœna laxarent: *Tum*, ne miseras, & fortassè resipiscentes, partim iniurijs erga ipsas, partim libidinibus erga alienas coràm inspectantes vexarent.

Nec tamen eo solùm nomine ob σκληροκαρδίαν permissa divortia, quod ista, & huiusmodi alia, quæ aliàs ludæorum σκληροκαρδία perpetrasset, præverteret: sed eò etiam quòd nisi ad eorum σκληροκαρδίαν essent, istâ permissione opus non esset. Nam si enim duritas cordium fuisset, certè etiam viri ijsdem legibus, atq; mulieres (quibus viros dimittere nūquam lege Mosaicâ permissum fuit) contenti essent. Et nisi dura cordium esset, malam quam à *Gentilibus* didicerāt divortij consuetudinem, studio perversoimitandi Gentiles (vt commentatione 6ª. Parag.4.dicetur) non ita mordicùs

obtinerent, vt necesse esset ijs aliquid hoc nomine indulgeri. Etsi enim in re ipsa duritas non esset, tamen in eo certè erat, quod ob hanc causam istud sibi concedi postularent. Adhæc nisi duritas cordium fuisset, adulteræ quibus mortis pœna inflicta non esset, potiùs operâ resipiscentię ad reconciliationem cum prioribus maritis, quam novas nuptias meditarentur. Et nisi duritas cordium esset, non essent adulterarum patroni, qui impedirent ne morte afficerentur; (vt videtur etiam in repub. Christiana istud ex simili duritate accidere) vnde sæpè necesse ad divortia cõfugere. Postremò, nisi duritas cordium esset, mariti postquam nihil vltrà per legem in adulteras agere possent, acquiescerẽt, nec postularent sibi sine testibus credi, sed potiùs aut reconciliarentur resipiscentibus sine privatâ vindictâ, aut saltem agnoscerent se a Deo ad cælibatum invitari.

Mirum sanè *Pyum* nostrum, cum duas penè integras de hac σκληροκαρδίᾳ paginas libri sui excusi, 36^m. & 37^m. impleret, & in manuscripto ad *Gentilem* de eadem prolixus esset, ex tam multis speciebus σκληροκαρδίας, quas in hac permissione supponi ostendimus, ne vnam quidem sumpsisse, quam refelleret. Nam in libro excuso hoc tantùm vrget, & fatemur, non esse σκληροκαρδίαν dimittere adulteram. Huc enim, & non vltrà spectant quæ in verbosa oratione, rationes paucæ afferuntur. *Prima*, quod Deus adulteras severè puniendas vrgeat. *Secunda*, quod non sit duritas vxorẽ tantùm suspectam, vel ad potionem aquæ diræ adigere. *Tertiã* quoq; *quod videatur ne licere quidem adulteram retinere*, etsi vlteriùs premere posset, si quidem verum hoc esset, (qua de re commentatione 5. Parag. 4 ad obiectionem quintam satis diximus) tamen a *Pyo* non nisi ad propositum prioribus rationibus commune vrgetur; adhæc, & hoc loco cautiùs vrgetur, & in manuscripto ad *Gentilem* tantùm non ab ipso revocatur.

Certè in obiectione septima, de qua suprà diximus, (siquidem vera sit posterior interpretatio, quæ profectò probabilior videtur) disertè istud contradicitur. Ibi enim suppo-

nit

nit divortium ob adulterium, non esse *iussum*, sed *permissum*: paginis autem 40. & 49 (etsi id contra suam ipsius sententiam, vt commentatione 2ª. Parag. 1. docuimus) supponit *non licuisse adulteram dimittere*; vbi non modò huic loco, ex quo sequitur necessariò dimittendā, sed & alteri illi in obiectione septima, vbi *permissum* dicitur, contradicit. Ita in exculo quidē libro nihil vrget, nisi αλληγορίαν in mera dimissione nullam esse, id quod ad nos certè parùm, vt dixi, attinet.

Similitèr in Epistola manuscripta, vbi hunc locum resumit, admonitus à *Gentili* duarum rerum, *in privatā vindictā duritatem esse*, & *mulieres semper coactas ferre scortatores viros*; quæ duo quid velint, & quomodo ad hunc locum pertineant, ex prædictis facilè apparet; *Pyrr* de alijs αλληγορίας rationibus, nisi quæ in merā dimissione essent mihil suspicans, primùm excurrēs, probat eas pœnas adulterij, de quibus ad præsens nihil omninò pertinet inquirere, *mortem*, scilicet, & *potionem aquæ dirę* non fuisse privatā auctoritate inflictas. Nec somniavit quidem vnquam *Gentilis* quicquā contrà. Tum ad rem veniens, ait, *libellum repudij publicum fuisse instrumentum, & etiam nunc à magistratu pecuniā redimi apud Indaos*: sed potest certè aliquid, vt sæpè fit in privatis maioris momenti transactionibus, muniri publico instrumento, in testimonium, & perpetuam rei memoriam, & tamen ad privatorum hominum arbitrium, & privatā autoritate agi; etiam cum huiusmodi instrumenti, vel fortè confirmationis nomine publico aliquid penderetur.

De altero *Gentilis* dicto, *mulieres coactas vt scortatores viros semper ferrent*, id est, non omnino vxoribus Iudæorum permissū maritos dimittere, vt maritis vxores, (alitèr enim sanus nemo hoc dictum acciperet) *primùm* ait *Pyrr* ψευδῶνυμον esse; *deinde*, ad istud iterum post intervallum rediens, de eo quod suprà mendacij accusarat, de eo quod inter doctores receptissimum est, tantùm quærit à *Gentili*, *quibus diuini iuris apicibus, quoue Prophetā teste hoc probatum uri arbitre-*

tur?

tur. Quasi verò hoc non magis ipsi incumberet, qui recepto, & prior, & asperè contradicit. Etsi enim ab *Ambrosio* in 2. *Cor*. 7. etiam nunc sub Evangelio ius vxorium circa divortium maritali impar statuente, pleriq;, & meritò dissẽtiant; in politia tamen Mosaica impar fuisse, haud credo quisquam probatiorum negavit vnquam.

Videat *Pyus* de hac re, vt ne multos nominem, *Petrum Martyrem* loc. com. class. 2. c. 10. sect. 60. & 70. & c. 11. sect 27. Videat & *Iunium* Analyticâ explicatione in *Deut*. 24. qui licentiæ divortiorũ inter Iudęos argumentum inde sũptum dicit, quod ius maritale, amplius quam vxorium statuerent. Videat & *Calvinum*, & *Oecolampadium*, & alios non nullos in *Malac*. 2, 16. qui etsi locum illum parùm rectè intelligant, tamen cum dictum Prophetæ in gratiam mulierũ quas mariti vexarent, nec tamen dimitterent, ita exponunt, ac si illæ quidem vellent dimitti, sed maritorum tyrannis, quæ ijs ad servitutem abutebatur, impediret, certè indicant suo iudicio necessarium in omni repudio mariti consensum. Nec deest sanè ratio. Divortiũ enim Mosaicum mera erat contra legem dispensatio: contra autem legem dispensare nemo potest, nisi Legislator: ita cum in lege dei nihil extet, quod maritos repudiari permiserit, necesse profectò illicitum semper fuisse. Sed de σκληροκαρδίᾳ, id est, de prima ratione, qua contendit *Pyus* sentẽtiam *Howsonianam*, sine adulterij patrocinio defendi non posse, hactenùs dictum.

Aliæ duæ rationes pertenues, sed verbis magnis habẽtur; altera p. 40. altera. p. 56. & p. quidẽ 40. ad illud quò *Howsonius* p. 47. ratiocinando tandem pervenit, vt diceret, si quis virginem vitiaverat, & postea, id quod iubebatur, eandem duxerat, istam quidem vxorem ab eo, ne ob adulteriũ quidem, repudiari potuisse: respondet *Pyus*, *hoc pacto invitari virgines, vt cum futuris maritis ante nuptias consuescant, vt ita post nuptias, sine metu repudij scortentur*. An non potiùs prohibentur mariti cum virginibus ante nuptias consuescere, ne fortè post nuptias in causa adulterij, repudio isto privarẽtur?

Nonne

Nonne etiam ipse *Pyus*. p. 45. quemadmodum & alij multi, Mosaicum divortium in gratiam mulierum, ne a viris vexarentur concessum, disertissimè confitetur? Quomodo ergo iactura beneficij facienda, eas ad istam turpitudinem invitaret, potiùs quam ab eâdem retineret? Eâdem responsione aliquâ saltem ex parte solvitur ratio altera, quâ, p. 56. *Howsonianam* thesim adulterijs favere ita disputat. *Vt adulteras*, inquit, *morte multemus utraque reipub. politia non feret, vt cũ bis divortia faciamus, noua quorundã theologia non patietur, quidni igitur liberè & impunè scortentur?* Divortium proculdubio hic intelligit eiusmodi, vt liceat secundas nuptias contrahere: alterum enim nulla est nova theologia, quæ non patitur. Sed istud divortium mulieri impudicæ, vt cui velit, fortè etiam vni ex amatoribus suis nubat, & vt a marito quem odit, quem læsit, & cui ipsa exosa est liberetur, pœnam esse quomodo dixerit? præsertim cum etiam probæ mulieri ab alienato marito per divortiũ liberari, beneficij loco ponat.

Certè p. 45. lin. 8. & sequentibus indignissimum putat, vt impudicæ hoc modo liberentur. Exoritur enim homini ἀλλοπροσάλλῳ istam contra seipsum cõfessionem ipsa veritas: idq; loco certè alieniss imo. Relegat quæ scripsit, & nisi fallor, obstupescet. Dixerat *Howsonus*. p. 50. Iudęis apud quos polygamia tolerabatur, necessariũ fuisse numerositatis vxorum impedimentum, vt eas quas ducerent, (nisi vnicâ causâ interveniente) retinere cogerentur. Ad hoc *Pyus* p. 44. & 45. respondet, *primò, incommodorum polygamiæ potiùs ex concessione divortij ob leuiores causas, quam ex prohibitione remediũ esse: dum exosa, & (si maneret) miserè vexanda, liberè dimitteretur.* Et hactenùs quidem directè, &, vt ita dicam, siccè & sobriè. Sed quod verbis proximis addit. p. 45. lin. 8. & sequentibus quale est? *Sed multum tibi*, inquit, *debet resp. Christiana, qui bellam hanc perturbationũ in vita omni, & ἀταξίας tollendæ rationem primus inuenisti: vt scilicet vxores adulteras maritis liberas dimitterent quibuscunq; visum fuerit statim nupturas: quo vix mirũm cui aliena placeat vxor, propositâ hac eius post divortium potiunda spe, in stuprum illecere, & permolere modis omnibus sata-*

Divortium ſæpè non eſt pœna: vide infra Parag. 14. circa medium.

gat. Hactenus *Pyus.*

Sed quis iſta ſanus ſcripſiſſet alius? Num quęſo *Howſonus*? an potiùs *Pyus* conceſſionem divortij incommodorum remedium dixit? Legatur quod fidelitèr ex vtroq; repetivi. Num *Howſonus*, an potiùs *Pyus* novas nuptias concedit? Nõ enim prætereundũ eſt illud quod dicit *Pyus* de Rep. Chriſtiana 1. Iudæis enim ante Chriſtum licuiſſe, poſt repudiationem ob adulterium ducere iterum & nubere fatemur: ſed nonne etiam *Pyus* hoc concedit, vbicunq; fatetur licuiſſe Iudæis ex hac lege divortium ob adulterium, id quod facit profectò ſæpè, vt commentatione 2. Parag. 1. notavimus? Sed de hac re, quæ alicui fortè, inter rationes quæ a *Pyo* afferuntur, vt probet theſim *Howſonianam* adulterijs favere, aliquid videatur, vlteriùs dicendum erit, commentationis huius *quintæ* parag. 12. ſub finem. Certè, vt ad rem redeam, quod contra priorem quam dixi *Pyanam* reſponſionem ab *Howſono* meritiſſimò excipi poterat, id ipſum *Pyus* hoc loco, quaſi ſecundam reſponſionem, contra *Howſonum* his verbis vrget.

Quid igitur dicam? corruptum hunc locum, & inculcata iſta verba ab aliquo qui *Howſono* faveret? At agnoſcit ipſe *Pyus* editionem pro ſua: & in manuſcripto ad *Gentilem* paginas numero notat. Tam abſurda ergo homini nec hebeti, nec indocto, vel per inſomnium dicam excidiſſe? Equidẽ nec iſtud mihi poſſum perſuadere. Sed in ratione prædictâ (vbi *Howſonianam* theſim, dum ſecundas ex divortio nuptias, etiã in cauſa adulterij improbat, adulteris hoc pacto impunitatem polliceri dicit) primum quidem hoc quod dixi vitium eſt, quod pleriſq; adulteris, tum mulieribus, tum vel maximè viris (de his enim credo etiam intelligi ſe à nobis voluit) divortium & novę nuptiæ omnino nulla pœna ſint, ſed id potiùs, quod maximè optarent: vt prioris coniugij pertæſis ad alias nuptias tranſuolare liceat. Vnde & nos ex adverſo vrgemus *Pyanam* potiùs ſententiam adulterijs favere. Id quod in ijs Reipubl: vbi poſt divortium ob adulterium vtriq; parti licet novas inire nuptias, res ipſa veriſſimũ com-

comprobavit. Inventi sunt enim ex ipsis primoribus (nisi certus auctor fallit) qui, vt a priore coniugio ad aliud transuolarent, homines nequissimi in adulteria ruerunt: & mox peractũ ipsi indicarunt. Vnde & sapientissimè ex iure Canonico Ecclesia nostra Anglicana, tum in prioribus constitutionibus, *Anno* 1597: tum in nuperis *Anno* 1603. *can.* 105. cavit, ne nudæ partium confessioni, quæ sæpè, inquit, falsa est, acquiescatur.

Alterum quoq; vitium est in prædicta ratione, quod etsi huiusmodi divortium pœna esset, & id quod adultera minimè sibi infligi vellet (id quod certè non rarò accidit,) non tamen idcirco per hujusmodi divortij prohibitionem id agitur, vt impunè scortentur. Quomodo enim alias pœnas vllas adulterij impedit ista prohibitio? Nec æquum sanè si antiqua Reip: politia non sinit vnũ justæ pœnæ genus infligi, vt idcirco aut nulla, aut iniusta infligatur. Quẽadmodum nec ex altera parte æquum, quia vnũ genus justæ vindictæ marito in adulteram denegatur, idcirco ei iniustã vindictam in compensationem concedi.

Quarta ratio quâ probari credit nostram interpretationẽ pro adulterijs facere, habetur, p. 53. lin. 19. in hanc sententiam. *Secundum hanc interpretationem quivis maritus alterius mulieris soluta amator, modò de vxoris pudicitia mentiri non erubesceret, poterat amatam in vxorem assciscere, & alterã eijcere.* Ergo *Hæc interpretatio ianuam aperit adulterijs*. Respondeo, *Primùm*, hoc incommodum multo magis sequi ex interpretatione *Pyanâ*, vt res ipsa loquitur: *Secundò*, falsum quoq; est antecedens hujus Enthymematis, vt plenius patebit sub finem duodecimi parag. hujus commentationis.

Ex eodem loco *Mat.* 19. vnde illud de σκληροκαρδίᾳ desumptum à *Pyo*, desumptæ & aliæ objectiones complures. Vna habetur paginis, 24. & 30. *Christus*, inquit, οὐδὲν πρὸς ἔνης *respondisset Matt.* 19. 8. *nisi fassus fuisset, legem Mosis de divortijs quâvis de causa factis intelligendam: necesse ergo vt Mosem de quavis causa intelligamus.* Antecedens probat ratione vnicâ. Quia quæstio erat, *primò* num quâvis de causa li-

Parag. 8. Solvuntur aliæ tres obiectiones ex eodem loco Mat. 19. desumptæ.

liceret; & deinde si non liceret, cur Moses quavis de causa? Respondeo. *Prima* quidem & præcipua quæstio erat, Num liceret quavis de causa, vt proponitur vers. 3. Huic quæstioni *Servator*, v. 4. 5. 6. respondet negando, vt fatetur *Pyus*, p. 29. & 30. *Deinde* non acquiescentes Pharisæi, secundâ quæstionem mouent, v. 7. Si non licet vxorem quavis de causa dimittere, cur Moses iussit dare libellum repudij, & ita vel quavis de causa dimittere. Sic enim & *Howsonus*, p. 25. & *Pyus* p. 30. hanc posteriorem quæstionem interpretantur. Hac quæstione supponunt Pharisæi in priore Christi responsione (cum non modo negaret licitum quavis de causa vxorem dimittere, sed eò etiam inclinare videretur, vt difficillimè solui posse vinculum conjugale sentiret) legē Mosaicam non solùm oppositam legi naturæ statui à Christo, sed etiam gravitèr ab eo hoc ipso nomine reprehendi. Ad istas Pharisæorum suppositiones respondet Christus, v. 8. & 9. ad priorem concedendo, Non fuit sic ab initio. v. 8. ad posteriorem negando, v. 8. & 9. Et octavo quidem versu duas affert rationes, cur ista ἀντινομία, seu oppositio naturalis & Mosaicæ constitutionis, Mosi minimè in reprehensionem cederet. *Priorem*, quia Moses nō præcepit, sed tantùm permisit dimissionem: alteram, quia non quasi hoc probans, aut volens permisit, sed coactus Iudaicâ cordium duritie. Hæc. v. 8. Adhæc v. 9. addit rationem tertiam, cur etsi istam ἀντινομίαν statueret, non tamen Mosem reprehenderet, quia Moses non tantùm quantum illi putarunt, a lege naturæ recessit, vt qui non quâvis de causâ, sed de sola causa adulterij suum divortium concesserit.

Quis non videt istam responsionem, quâ Christus probat se nihil in Mose reprehendisse, id quod ei v. 7. objiciebatur, quâq; id quod in reprehensionis argumentum adducebatur ibidem, ita confitetur vt simul doceat non inde sequi Mosem a se esse reprehensum; quâ deniq; Pharisæorum errorem de sententia permissionis Mosaicæ, quasi quavis de causa fuisset, quem illi errorem suum v. 7. prodiderant, expressè condemnat, istam inquam, responsione, quâ

quâcum *Howsoniana* thesis ad amussim consentit, quæq; ex ipso *Howsono* tota desumpta est; quis non videt πρὸς ἕνα τρόπον, & ad propositum versus *septimi*, abūdè & vndequaq; competere.

Alia obiectio, p. 31. ex eodem loco Matt. Exceptio illa *Nisi ob fornicationem*, non est ἔκδοσις, seu expositio eius quod dixerit, *Moses permisit*, sed illius quod sequitur *Ab initio non sic*, legis scilicet naturæ: At illud, *Non sic*, opponitur permissioni Mosaicæ; Ergo exceptio ista *Nisi ob fornicationem*, non convenit permissioni Mosaicæ. Maioris prima confirmatio ex initijs duorum versuum octavi, & noni; vbi dum Mosi Christus, permissioni sanctio ex antithesi opponitur (*Moses permisit, Ego autem dico*) indicatur, inquit, istud non esse illius expositionem, sed potiùs aliquid ei ex adverso oppositum. Respondeo, permagni hoc futurum fuisse, si in Græco fuisset Μωσῆς μὲν, ἐγὼ δέ; sed non solùm illud μὲν omittitur in octavo ver. sed etiam in nono non est ἐγὼ δὲ λέγω, sed λέγω δέ. Deinde etiam interseritur sub finem versus octavi de lege naturæ, Mosaicæ permissioni oppositâ. Id quod certè remotiorem antithesim, quam *Pyus* hic vult esse, penitùs absorbet. Adhæc, illud λέγω δὲ habet aliquid propinquius (id scilicet quod de lege naturæ dictum est, *Non fuit sic*,) vt ad remotius illud de Mose ista antithesis pertingere & pervenire nequeat. Postremò, vt in persona *Servatoris* aliqua etiam subintelligatur antithesis, quam potiùs subintelligeremus, quam illam *Matthæi* quinto toties inge minatam inter Christum & doctores Iudaicos?

At par est, inquit, istud, *dico autem vobis, expositionem esse eius legis, quæ proximè indicata, & obscurius posita erat*: imò verò ab istâ per coniunctionem disiunctivam dirimitur, & tribus suprà versibus 4. 5. & 6. fusè explicata ista fuerat. Falsum enim planè q. *Pyus* nostræ interpretationi impingit, quasi faceret, vt Christus adversariorum legem bis explicaret, quę

brevi desitura erat, suam autem, quæ perpetua futura erat, negligeret. Quomodo enim illud a Christo negligi dicimus, quod & tribus illis integris versibus ab eo explicari, & statim iterari, atq; vrgeri in fine v. 8. fatemur? Aut quomodo ex eo quod duobus continuis versibus 8. & 9. permissionem explicari dicimus, colligit eam secundum interpretationem nostram bis a Christo explicari?

Certè non solum hac. p. libri excusi 31. lin. 27 absurdum putat *Pyus*, vt aliquid brevi desiturum diligenti interpretatione exponeretur, sed & in Epistola ad *Gentilem* multus in hoc & vehemens est. *Lepida*, inquit, *interpretatio, & feriato homine otiosis diebus nõ indigna: quis, obsecro te, sani capitis homo, aut mentis compos, legem iam ante abrogatam, & abolitam, interpretandam in manus resumeret.* Hęc *Pyus* ad *Gentilem*, satis suo more calidus in re frigida. Quæ enim ista iniuria est, exponi nobis concessionem, quæ iam antiquata, aut mox antiquanda sit, vt ita sciamus quid sit, quod cum olim licuerit, iam non liceat? Quo auctore, quâ ratione adductus *Pyus* ita inhumanitèr sævit in huiusmodi interpretem, vt non modò ineptiæ eum, sed & insaniæ accuset? Abrogata iam olim est permissio Mosaica; ideone etiam nostri nihil interest scire quæ fuerit eius sententia? Quorsum ergo totam istam de sententia Mosaicæ permissionis disputationem instituit *Pyus*? Quomodo non videt illa omnia, *de lepida interpretatione, de otiosis diebus, de feriato homine, & insani capitis, & mentis impote*, ex sua ipsius confessione necessariò in seipsum redũdare. Certè enim legem, seu permissionem abolitam serio & prolixè interpretatur. Nec tamen nos per Christi interpretationem, abrogatã hanc legem dicimus, nisi quatenùs abrogationis fũdamẽta ab eo iacta sunt: quo modo dictũ *Gentilis* intelligendum commentatione 4ª. parag. 2. sub finem monuimus.

Alię rationes duę ex quibus *Pyus* noster, p. 32. 33. 34. 35. pro obiectione prædicta contendit, exceptionem *Nisi ob fornicationem*, non esse expositionem eius quod Moses permisisse versu 7. dicitur; in commentatione 3. parag. 4. 5. 6. 8

&

& in ista commentatione, 5. parag. 5. ad obiectionem octauam diligentè refutatæ sunt. Licebit enim, quæ locis alienioribus à *Pyo* posita sunt, nobis in propria & sua loca restituere, tantùm, vt quomodo ad hunc locum pertineant intelligatur, brevitèr hic quoq; indicanda sunt. Prior ratio, p. 32. *Si exceptio Christi interpretatur permissionem Mosaicam, sequetur non peccasse eum qui mulierem secundum permissionem Mosaicam repudiatam duceret: non enim peccaret qui mulierẽ secundum exceptionem Christi repudiatam duceret, at peccaret qui mulierem secundum permissionem Mosaicam repudiatam duceret.* Ergo *exceptio Christi non interpretatur permissionem Mosaicam.*

Altera ratio quæ tractatur quidem, p. 33. 34. 35. exponitur autem, p. 33. lin. 20. talis est. *Permissio Mosaica nihil concedit, sed ideo tantùm permissio dicitur, quia de divortio per falsã suppositionem loquens, sine expressa eius prohibitione, aut pœna, de malo quæ aliquin ex divortio sequi potuissent, cavet: At Christi verba non possunt pro huiusmodi permissionis interpretatione intelligi, vt quæ & alicuius divortij concessionẽ, & cæterorũ divortiorũ prohibitionem contineant: Non ergo exceptio Christi interpretatur permissionem Mosaicam.* Eodem pertinet quod p. 28. & 29. multis verbis sed in hanc sententiam vrget. *Si exceptio Christi sit interpretatio permissionis Mosaicæ, sequetur Christũ* Mat. 5. *vbi sex habentur explicationes rerum ad legem Mosis pertinẽtium, in quinq; quidem reliquis ea exposuisse quæ in media lege moralia essent, & ea omnes pertinerent, & perpetuò durarent: in sexta autem id tantùm docuisse, quod ex iudicialium lacuna esset, & deo statim desiturã & Iudæis propriã: Atqui illud non est verisimile, cum, teste Hemsoro p. 22. vna sit eademq; ratio omnium sex explicationum: ideoq; nec verisimile est exceptionem Christi esse interpretationem permissionis Mosaicæ.* Respondeo, vt alia brevitatis causã omittam, præcipuum quod in ista permissione Christus interpretatur, ad legem moralem, & ad omnes in perpetuum pertinere. Vt sciamus nunquam licuisse, ne tũ quidem cum plurimum indultum est duritati cordium, vt vxores quàvis de causã, aut vllã præter vnicam, & eam gravissimam

pissimam dimitterentur. Tum & illud quoq; morale est, quòd in ista interpretatione, vt commentatione 4. Parag. 2. ostendimus, fundamenta abrogationis istius permissionis iaciantur.

Restat adhuc ex eodem 19. *Matt.* magnum nescio quid, quod habetur apud *Pynum* p. 55. *quod qui solverit, salvo Paradoxo*, vt loquitur, *Howsoniano, erat*, inquit, *mihi magnus Apollo.* Vim rationis more nostro, id est fide integrâ, in formâ syllogisticam, quia impeditior paulò est, apertiùs re digemus.

Quicquid Moses Iudæis ob σκληροκαρδίαν permisit, id totũ per Christum sublatum est.

At Moses meram dimissionem, illâ de causâ de qua loquitur factam, etiam sine respectu secundarum nuptiarum, permisit ob σκληροκαρδίαν. Ergo.

Aut non loquitur de causâ adulterij, aut si de ea loquitur, etiã mera dimissio sine respectu secundarum nuptiarum ex causa adulterij iam sublata est. At hoc certè falsum esse docet secunda ex tribus thesibus Howsonianis, quas in Comitijs discutiendas proposuit: ideoq; restat, vt alterum illud verum sit, vt non loquatur Moses de causa adulterij.

Eodem recidit, & eodem fundamento nititur, quod sub finem eiusdem pag. 55. habetur apud *Pynum* in hanc sententiam.

Permissio dimissionis Mosaica ab initio non fuit, ideoq; nec nunc est.

At permissio dimissionis ob adulterium, ita vt alteram ne ducamus, nunc est, & ideò etiam ab initio fuit. Ergo.

Permissio demissionis ob adulterium, ita vt alteram ne ducamus, non est Mosaica, & per consequens, ne permissio quidem dimissionis ob adulterium, ita vt alteram ducamus erit Mosaica: cum, vt in minore prioris syllogismi supponitur, non magis ista quam illa permissio sit ducenda Mosaica.

Respõdeo, minorem prioris syllogismi falsam esse, ideoq; ista omnia nihil contra *Howsonum* facere. Sed minorem illã probat *Pynus*, ex *Matt.* 19. 8. & *Matt.* 5. 32. & *Deut.* 24 1. in quibus omnibus locis de dimissione Mosaica agitur, nec ad secun-

secundas nuptias respectus, inquit, vllus est sed sermo planus & apertus de dimissione simpliciter & in se consideratâ. Respondeo, ex eorum certè omnium sententia qui nuptias secundas post divortium ob adulterium concedi volũt, qui ne nunc quidem, multò verò minùs apud *Mosem*, vbi libelli repudij (id est) (vt docuimus commentatione 3. Parag 2. & alibi sæpiùs) secundarum nuptiarum approbatio manifesta est, divortium omninò ullũ concedunt, nisi per quod facultas detur novi coniugij. Nec opus sanè pluribus verbis ad istud insolubile argumentum dissipandum. Mosem enim de eo divortio locutum quod facultatem secundarũ nuptiarum daret, tum ex mentione libelli repudij, qui hunc in finem dabatur: tum ex suppositione novi coniugij, post divortium ineundi v. 4. planè constat. Nec minùs sanè constat *Christum* tum *Matt.* 5. 32. cum Mosem interpretans diceret, *Quicunq; vxorem dimiserit*: tum *Matt.* 19. 8. cũ de Mosaica permissione loquens diceret *Moses permisit dimittere*, eam dimissionem intellexisse de qua locutus est Moses, id est, eam quæ facultatem novi coniugij cõcederet. Distinguit quidem *Christus* v. 9. dimissionem; vt alia sit cum secũdis nuptijs, alia sine ijs. Cum enim dicit qui dimittit vnam, & ducit aliam, significat non omnem dimissionem præsumere secundas nuptias insecuturas. Nam nec in Mosaica quidem dimissione necessariam ponimus secundarũ nuptiarum consequentiam, sed tantùm earum facultatem & licentiam. Nec necesse ita Christum intelligere dimissionem v. 9. vbi eam distinguit: vt v. 8. intelligit, vbi indistinctè de Mosaica dimissione loquitur.

Parag 9. Obiectionis postremæ examinatur propositio prima, causas omnes adulterii ad causas legis pertinere. scilicet aut ad legem Deut. 22. aut ad legẽ Num. 5.

Restat obiectio vnica, de qua apud *Pynn* plus septem paginis ad *Howsonum*, & plus vndecim paginis ad *Gentilem* consumitur. Summa obiectionis, vt præcipuè quidem ex p. 52. & 53. libri ad *Howsonum* colligitur, hæc est. *Nullum potest esse adulterium in quod non possit agi secundum Mosem ex alio aliqua lege, videlicet aut ex lege Zelotypia Num. 5. 12. aut ex lege de adulteris morte puniendis Deut. 22. v 22. At cum potest agi ex his legibus, vibil opus est alijs. Ergo in causa adulterij nullus*

nullus locus divortijs apud Mosem. Respondeo, & primam & secundam obiectionis huius propositionem falsam esse. Ac de prima quidem, vt constet falsam esse, duo constituenda sunt. *Primùm* in causa adulterij, quod soli marito constet, nō posse agi ex lege *Deut.* 22. 22. *Deinde* in hac causa nō posse agi ex lege *Zelotypiæ Num.* 5. 12. Ac prius quidem, nisi fallor, pro ipsissima *Pyana* sententia sumi poterit. Etsi enim p. 50. lin. 20. affirmare videatur in verbis Mosis nihil esse, quin æquè ad legem *Deut.* 22. v. 22. pertineret, quod vno tantū teste probatur, atq; aliud quodcunq; adulterium: tamen cum hoc eo loco potiùs innuat, quam apertè dicat, cumq; p. 52. lin. 20. & sequentibus, apertè dicat, & seriò probare conetur hunc casum, seu causam hanc adulterij, ita ad legē *Zelotypiæ* pertinere, vt ad aliam legem revocari nō debeat, certè iustissima de causa istud pro *Pyana* sententia sumimus, vt statuat adulterium, de quo soli marito constat, ad legē *Zelotypiæ* pertinere, & ita nō ad legē *Deut.* 22. v. 22. Inspiciantur verba p. 52. lin. 20. & sequentibus. *Quæro*, inquit, *a te, an oculatus ille testis de vxoris adulterio suspicari potuit? si potuit, salva res est.*

Quanquam, ne nimium fortè hominis inconstantissimi, etsi contra seipsum cōfessione niti videamur, habemus certè evidentissimum, omniq; exceptione maius testimonium scripturarum. Cum enim *Deut.* 17. 6. & 19. 15. expressè dicatur, *Ne efficitor morte ex sermone testis vnius*, quomodo audebit dicere ex lege *Deut.* 22. v. 22. quæ mortis pœnam infligit, agi posse in id adulterium quod soli viro constet? Nec minùs sanè evidens, pro altero eorum, quæ ad primæ propositionis refutationem proposuimus, testimonium habemus ex verbis expressissimis *Num.* 5. 13. Quâ enim fronte ausus *Pyna* dicere, causam aliquam adulterij, cuius sit aliquis testis, etsi tantùm vnus, ad hanc legem pertinere: cum verba legis sint, *Si nemo testis fuerit?* Quomodo causam vbi maritus sit testis oculatus: cum verba legis sint, *Si absconditū sit ab oculis mariti eius?* quomodo deniq; causam eius quæ a marito ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensa sit (sic enim loquitur. p. 53. lin.

lin. 10.) cum verba legis sint, *neq; fuerit deprehensa?*

Nec caruit sanè ratione (quanquam ad rem tam evidẽtem confirmandam quid opus de legis ratione conijcere, quæ longè fortè melior quam de quâ nostra tarditas suspicari potest? Et satis certè rationis voluntas legis-latoris: de qua constat ex ipsa lege certissimè) sed ratio tamen, nisi fallor, cur adulterium de quo ipsi marito constaret, ad hanc legem non pertineret, aliqua *Deut. 6. 16.* in illo *Non tentabis Deum tuum* indicatur. Poterat enim maritus conscius hoc animo vxorem sontem adducere, vt tentaret, an Deus verè indicaturus esset id quod ipsi erat compertum. Poterat & in tam multis huius legis circumstantijs aliqua per incuriam & negligentiam, aut fortè per malitiam omitti, & ita verum indicium non sequi: vnde marito aliter conscio esset blasphemiæ occasio. Adhæc Deus ad tam miraculosum examen res deduci nisi vrgente necessitate noluit. Et certè cum res marito ipsi pro certo constaret, spes erat & verisimile, aliquo saltem modo, per magistratus prudentiam eò rem adduci posse, vt testimonio plurium, aut aliâ idoneâ evidentiâ constaret. Et in adultera quidem, de cuius culpa maritus tantùm suspicaretur, nulla poterant esse signa pœnitentiæ, vt ei aut omnino, aut ex parte à marito ignosceretur: in altera autem esse poterant: ideoq; æquius vt huic potiùs relinqueretur vel veniæ, vel mitioris castigationis aliquis locus.

Sed quicquid erat causæ, nobis certè in manifestissimo scripturæ testimonio acquiescendum: ad quod *Pyus* nihil planè respondet, id tantùm quærit homo infœlix, *Potestne oculatus testis suspicari de eo quod videt?* Respondeo ex Apostolo. *Spes, si res cernatur, non est spes.* Et iterum, *Per fidem, non per aspectum.* Quid hoc inquiet ad rem? Plurimum certè. Vt enim nec spes est, nec fides cum res cernitur, sed scientia; ita nec suspicio est cum res cernitur sed scientia. Sed vt demus esse suspicionem, certè cum talis suspicio sit vt virum non latest, ad hanc legem nihil pertinet. Ita nihil opus nobis pro fundamento huius responsionis nostræ confugere

ad loca *Levit.* 20. 18. & 15. 24. vbi diversæ leges de eodem crimine statuuntur: Et videatur quidem altera locum habere, cum res sufficienter probari potest: altera autem pertinere ad forum conscientiæ, cum secretum est, & nemini notum. Ex superabundanti, non ex necessitate istud adductum ab *Howsono*. Constat enim, vel reiectâ istâ duorum istorum locorum interpretatione, responsio nostra, adulterij crimen cum soli marito notum est, nec morte mulctari posse (ex lege *Deut.* 22. v. 22.) nec ad legē zelotypiæ omninò pertinere.

Quo magis certè temerarium illud apud *Pyum*, p. 50. lin. 12. vbi omne nostrum in hac istorum duorum locorum interpretatione præsidium esse vult: ita *vt eâ ruente distinctio nostra diuersorum in causis adulterij casuum eodem labefactata motu concidat*. *Howsonus* enim evidenter, p. 55. ad locum *Num.* 5. pro fundamento suæ distinctionis nos relegat: loca autem illa, *Levit.* 15. v. 24. & 20. v. 18. non interpretatur de eo quod probari possit, aut non possit; sed de eo quod accusetur, aut non accusetur. Ideoq; nō ad primam propositionem *Pyanam*, de qua nunc agimus, refert hæc loca, sed ad secundam potiùs, de qua statim agetur. Quanquam, quod quidem intelligo, nihil est quin satis probabiliter duæ illæ leges, *Num.* 15. & 20. *altera* de foro conscientiæ, cum fortè res secreta est; *altera* de foro civili, cum probari potest, intelligatur. Nec tamen nego quin & altera coniectura quæ de voluntario & involūtario has leges exponit, suas quoq; probabilitates habeat.

Sed quis vnquam æquus lector Philosopho aut Theologo hanc legem posuit, vt nihil dicat nisi quod planè necessarium, non autem tantùm probabile sit. Nam quod affert *Pyus* de diversitate locutionis, planè nihil efficit, cum ita tantùm diversa sit locutio vt synonyma tamen sit. Quid enim est illud Num. 20. 18. *Virum retegendo nuditatem mulieris, profluvium eius nudare*, aut *fœminam* (in concubitum scilicet consentientem) *retegere profluvium sanguinis sui*, nisi vtroq; volentes concumbere eo concubitu, qui menstruo pol-

polluatur? Ita non in verbis, sed ex rerum æquitate significatur reliquum: siue id sit vt scientes menstrui tempus esse hoc fecerint; sive vt post factũ legitimè accusentur: sive vt argumentis idoneis convinci possint: seu potiùs vt simul ista omnia subintelligantur. Id enim tantùm hoc exemplo urget *Howsonus* (quod certè ex eo sequitur necessario) de eodem crimine ob casus diversos, leges diversas, etiam cum non exprimitur, sed ex æquitate colligenda relinquitur casuum differentia, non ratò vel in optimis constitutionibus reperiri.

Sed locis, inquit, illis *Deut.*24.1. & 22.v.22. cum idem sit loquendi modus (in illo quidem, *quia* invenit in ea nuditatem: in illo autem *cum inventus fuerit vir concumbens &c.*) quis tandem Angelorum (sic enim loquitur p. 50.) ostendit non eandem in his duobus locis probationis rationem intelligendam: *Sed* in lege divortij agi de adulterio quod marito quidem constet, sed satis probari nequeat: in altera de eo quod satis locupletibus testimonijs probari possit? Quasi verò nisi Angelo interprete hoc intelligi nequeat: cum, vt suprà indicavimus, adulterium de quo soli viro constet per legem *Deut.* 22. puniri nequeat: ipseq; adeò *Pyus* p. 52. lin. 20. vt dixi, hunc casum potiùs referat ad legem *Zelotypiæ*. Deinde etiam vel ipsa verba hoc discrimen indicãt: in lege divortij dicitur, si maritus invenerit &c. expressè ergo dicitur in hac lege sufficere si marito constet: in altera autem lege, si inventus fuerit indefinitè dicitur: vbi cum omittitur a quibus aut qualibus nocentem deprehendi postuletur, ex generali certè lege *Deut.* 27.6. interpretandum: vt integrũ sit si idoneis testibus inventus fuerit.

Aliud quod pro prima illa quam dixi propositione *Pyus* faciat, nihil prorsùs ab eo, nec in libro ad *Howsonum*, nec in Epistola ad *Gentilem* affertur: Nisi fortè illud quo nihil potest esse magis indignum, aut magis ἀδικαίτικον, aut magis ἄλογον præteriri nolit, quod p. 49. lin. 26. habetur. *Hic primò*, (inquit, postquam *Howsonianam* ad obiectionem, quã nunc præ manibus habemus, responsionem recitaverat) *cum tres*

esse diversas & inter se repugnantes leges circa adulterium in scripturis asserat, quarum secunda est illa quæ Deut. 24. 1. extat, manifesta est petitio principij: nam in tota illa lege ne verbum quidem est de adulterio vti tu veris, neq; ulla in famosas pœna constituitur. Quis præter hunc doctorem opponentis partes sustinens, respondenti ad argumenta tale vitiũ petitionis principij obiecit? aut istud non concessit, vt in responsione ad argumenta opposita, vel sine probatione addita id affirmaret, quod in totius controversiæ thesi affirmat?

Imò quæ potest esse impudentior in opponente petitio principij, quam respondenti hanc veniam non concedere, vt hoc modo principium petat? id est, non quidẽ ad aliquid aliud probandum, sed ad id tenendum quod tenet, vt ea neget quæ suæ thesi contradicunt. Sed familiare istud *Py* nostro, Sic enim p. 46. semel atq; iterum *Howsono* ad obiecta respondenti, & in responsione (quod sæpè necesse est) id quod in quæstione est asserenti, petitionem principij objicit. Taceo enim quod his & huiusmodi locis nihil sumat *Howsonus*, nisi quod antè diligentèr probaverat. Illud certè & in ista exceptione, & in tota hac obiectione, alijsq; superioribus nonnullis mirum videatur, quomodo qui p. 13. & 24. & 30. divortium Mosaicum de quavis causa interpretatur, & sedulò vrget, ita sui oblitus esse possit, vt adulterij causã ad istud divortium nihil pertinere asserat: & in quâvis causâ, adulterij causam comprehendi nolit.

Magis adhuc mirum, quod qui sæpè fateatur (vt cõmentatione 2ª. parag. 1. docuimus) non modò adulterium cõprehendi in causis de quibus Moses loquitur, sed etiam divortium ob hanc causam secundum Mosem licuisse, hoc toto loco & alijs non paucis contrà contendat. Ad locum *Mat.* 19. 9. Vbi Christus causam fornicationis excipiens, (quasi ea quidem licita sit causa divortij) loquitur de recepta inter Iudæos consuetudine: ideoq; de eo quod iuxta Mosem liceat, non autem solùm de eo quod tantùm in futurum licitum esset, respondent nonnulli ex auctoribus *Pyanis* (quorum etiam auctorum alijs in rebus nos quoq; minimè

nimè pœnitebit) Christum locutum quidem *de eo quod sub lege Mosaicâ liceret, sed hoc tantùm per accidens sub Mose licuisse: quia* scilicet *aliquando leges de adulterio morte puniendo negligebantur.* Sic *Beza* (nisi eum pro *Pyo* nimis candidè interpretor) loquitur in *Mat.*19.9. Sed *Pyum* tamen hoc modo respondere nequit; cũ (vt docui cõmentatione 2ª. parag. 1. & hac cõment: 5. parag. 8.) exceptionẽ illã Christi faciat ἐνθύμημα esse legis naturæ: ideoq; nõ per accidens, sed simpliciter licitũ in causa adulterij divortium fateatur necesse est.

Sed ne illi quidem qui ita respondent, satis aut sibi ipsis aut veritati consentienter hoc dicere videntur. Sibi ipsis non consentiunt: Sic enim annotant in *Luc.*16.18. *Loquitur Christus*, inquiunt, *de repudijs apud Iudæos vsitatis, inter quæ numerari non potest repudium ob adulterium, cum adulteros oporteat ex lege, capitali pœnâ plecti.* Hęc illi: vbi, contra prędictam suam sententiam, supponunt legem de adulteris morte puniendis in vsu fuisse; ex eoq; contrà satis expressa Christi verba *Mat.*19.9. volunt non solùm de futuro, sed etiam de præsenti & præterito simpliciter, sine exceptione causæ adulterij, pronunciari potuisse, novum ex divortio coniugium illicitum. Sed nec veritati quidem, vt dixi, consentiunt in eâ quam proposui responsione. Volunt enim denegationem liciti, facere id licere, quod aliàs non licuisset. De qua re plura dicentur infrà hac eâdem commentatione parag.14. In præsens tantùm notetur, totam istam disputationem de divortio ob adulterium secundum Mosem illicito, manifesto Servatoris testimonio (*Matt.*19.9. contradicere.

Nec minus certè manifestum testimonium *Ieremiæ* 3.v. 8. *Visum est mihi omnibus de causis quibus adulterata est aversa Israel dimittere eam, & dare ei libellum repudij.* Non credo negabit quisquam his verbis ad consuetudinem Iudaicam respici: nec ὀρθῶς dicet *Deum* in se statuisse exemplum consuetudinis pravæ & a lege alienæ. Ex lege ergo Mosis licuit dare libellum repudij in causa adulterij. Et sic certè D. *Reynoldus* etsi a thesi nostra dissentiat, tamen in Anglicano

suo

esse diversas & inter se repugnantes leges circa adulterium in scripturis asseras, quarum secunda est illa quæ Deut. 24.1. extat, manifesta est petitio principij: nam in tota illa lege ne verbum quidem est de adulterio vti tu vis, neq; ulla in famosas pœna constituitur. Quis præter hunc doctorem opponentis partes sustinens, respondenti ad argumenta tale vitiū petitionis principij obiecit? aut istud non concessit, vt in responsione ad argumenta oppositā, vel sine probatione addita id affirmaret, quod in totius controversiæ thesi affirmat?

Imò quæ potest esse impudentior in opponente petitio principij, quam respondenti hanc veniam non concedere, vt hoc modo principium petat? id est, non quidē ad aliquid aliud probandum, sed ad id tenendum quod tenet, vt ea neget quæ suæ thesi contradicunt. Sed familiare istud Pyo nostro, Sic enim p. 46. semel atq; iterum *Howsono* ad obiecta respondenti, & in responsione (quod sæpè necesse est) id quod in quæstione est asserenti, petitionem principij obijcit. Taceo enim quod his & huiusmodi locis nihil sumat *Howsonus*, nisi quod antè diligentèr probaverat. Illud certè & in ista exceptione, & in tota hac obiectione, alijsq; superioribus nonnullis mirum videatur, quomodo qui p. 13. & 24. & 30. divortium Mosaicum de quavis causa interpretatur, & sedulò vrget, ita sui oblitus esse possit, vt adulterij causā ad istud divortium nihil pertinere asserat: & in quâvis causâ, adulterij causam comprehendi nolit.

Magis adhuc mirum, quod qui sæpè fateatur (vt cōmentatione 2ª. parag. 1. docuimus) non modò adulterium cōprehendi in causis de quibus Moses loquitur, sed etiam divortium ob hanc causam secundum Mosem licuisse, hoc toto loco & alijs non paucis contrà contendat. Ad locum *Mat.* 19. 9. Vbi Christus causam fornicationis excipiens, (quasi ea quidem licita sit causa divortij) loquitur de recepta inter Iudæos consuetudine: ideoq; de eo quod iuxta Mosem liceat, non autem solùm de eo quod tantùm in futurum licitum esset, respondent nonnulli ex auctoribus *Pyanis* (quorum etiam auctorum alijs in rebus nos quoq; minimè

nimè pœnitebit) Christum locutum quidem *de eo quod sub lege Mosaicâ liceret, sed hoc tantùm per accidens sub Mose licuisse: quia* scilicet *aliquando leges de adulterio morte puniendo neglegebantur.* Sic *Beza* (nisi eum pro *Pyo* nimis candidè interpretor) loquitur in *Mat.* 19. Sed *Pyus* tamen hoc modo respondere nequit; cũ (vt docui cõmentatione 2ª. parag. 1. & hac cõment: 5. parag. 8.) exceptionẽ illã Christi faciat ἐκθεσιν esse legis naturæ: ideoq; nõ per accidens, sed simpliciter licitũ in causa adulterij divortium fateatur necesse est.

Sed ne illi quidem qui ita respondent, satis aut sibi ipsis aut veritati consentiunt èr hoc dicere videntur. Sibi ipsis non consentiunt: Sic enim annotant in *Luc.* 16. 18. *Loquitur Christus*, inquiunt, *de repudijs apud Iudæos vsitatis, inter quæ numerari non potest repudium ob adulterium, cum adulteros oporteat ex lege, capitali pœnâ plecti.* Hæc illi: vbi, contra prædictam suam sententiam, supponunt legem de adulteris morte puniendis in vsu fuisse; ex eoq; contrà satis expressa Christi verba *Mat.* 19. 9. volunt non solùm de futuro, sed etiam de præsenti & præterito simplicitèr, sine exceptione causæ adulterij, pronunciari potuisse, novum ex divortio coniugium illicitum. Sed nec veritati quidem, vt dixi, consentiunt in eâ quam proposui responsione. Volunt enim denegationem liciti, facere id licere, quod aliàs non licuisset. De qua re plura dicentur infrà hac eâdem commentatione parag. 14. In præsens tantùm notetur, totam hanc disputationem de divortio ob adulterium secundum Mosem illicito, manifesto Servatoris testimonio (*Matt.* 19. 9.) contradicere.

Nec minus certè manifestum testimonium *Ieremiæ* 3. v. 8. *Visum est mihi omnibus de causis quibus adulterata est aversa Israel dimittere eam, & dare ei libellum repudij.* Non credo negabit quisquam his verbis ad consuetudinem Iudaicam respici: nec òpinor dicet *Deum* in se statuisse exemplum consuetudinis pravæ & a lege alienæ. Ex lege ergo Mosis licuit dare libellum repudij in causa adulterij. Et sic certè D. *Reynoldus* etsi a thesi nostra dissentiat, tamen in Anglicano

suo

fuo tractatu de divortijs (ad quem librum *Pyni* p. 56. nos remittit) c. 3. ante medium ait verba *Matt.* 1. 19. id sonare, iustitiam fuisse quæ movit *Iosephum*, vt *Mariam* quam putavit adulteram, dimitteret. Nec de alia credo dimissione quam illa Mosaica *Pyni* hoc exponere poterit, cum D. *Raynoldus* ex hoc exemplo probet repudiationem eam de qua agimus, vbi non apparent signa certa pœnitentiæ, necessariam esse. Ita si falsa est conclusio obiectionis istius; quã præmanibus habemus, quid vltrà volumus? Falsum enim ex veris sequi non potest, nec de præmissis nisi propter conclusionem laboramus. Sed vtcunq; quæ hactenùs diximus sufficiant, nam & cum primam istius obiectionis propositionẽ refutavimus, satis ad totam obiectionem respondimus, quæ nisi vtrisq; propositionibus veris omninò nulla est) tameh, vt adhuc quoq; abundantiùs satisfiat, de secunda propositione nunc tandem videamus. *Ea* erat, *In omnibus causis adulterij, quæ aut ad legem Zelotypiæ, Num. 5. 12. aut ad legem de adulteris morte puniendis Deut. 22. v. 22. pertinebãt, sufficit agere ex his ipsis legibus, nec opus ad alias confugere.*

Parag. 10. Prima exceptio Howsoniana contra secundam prædictæ obiectionis propositionẽ, ex scripturis & ex clarissimorum Iureconsultorum iudicio defenditur.

Contra istam propositionem exceptiones apud *Howsonum* duæ sunt, *Altera* habetur p. 56. lin. 19. *Altera* p. 57. lin. 13. Prioris hæc sententia est, *Criminalis accusatio ad mortem, accusatori in probatione delinquenti in malum cessura erat, ergo aquum erat vt marito optio relinqueretur, vtrum criminaliter agere vellet, id est, ad publicam vindictam, an civiliter, id est, ita tantùm vt sibi ipsi privatim satisfaceret.* Antecedens probat tum ex Axiomate iuris civilis, *In criminalibus qui accusat debet se inscribere, tum* ex *Deut.* 22. 19. Vbi mulcta infligitur ei qui vxorem læsæ ante nuptias pudicitiæ fine iusta probatione insimulaverat. Nec enim, (quod solum ad hunc locum respondet *Pyni*,) non agi hic de eo qui adulterij, sed qui læsæ ante nuptias pudicitiæ vxorem accusarat, multùm huius testimonij vim elevare poterit; cum testimonia non solùm de *eodem*, sed etiam de *pari* valere debeant. Paria autem ista esse, tum in *re*, tum in *pœna* quis non videt? Adhæc & lata erat lex gene-

ra-

neralis, *Deut.19.19. Omninò facietis ei quemadmodum molitus fuerat facere fratri ſuo.* Vt ſi paritatis & analogiæ ratio per ſe non ſufficeret, tamen hoc ſaltem, generali regulâ adjuvante, meritò perſuaderet.

Quanquam, ſi rectè attendimus, dici poteſt iſtud teſtimonium nõ eſſe de *pari*, ſed de *eodem*. Nam in nuditate rei, id eſt, in re ſeu λόγῳ impudicitiæ, comprehendi poſſunt nõ modò ea quæ admiſſa ſunt poſt initas nuptias, ſed etiam ea quę ante nuptias admiſſa, ſæpè poſt nuptias comperiuntur. Nec impedit quod de huiuſmodi flagitijs alia lex præter legem divortij animadvertat, vt ex eo quod ſequitur apparebit.

Ad illud ex jure civili quod parciſſimè tangit, imò vix omninò ſignificat *Howſonum* (nã quod addit, & illud quoq; modeſtiſſimè, *in iure civili habet hoc ſuas vires, quatenus ego aſſequor*, non ad hanc ſed ad ſequentem exceptionem pertinet) ſed ad illud axioma ex jure civili, quod *Howſonus* nuſquam dicit eſſe iuris civilis, ſed tantum literis, quas vocant Italicas, à reliquo contextu diſtinguit, nimis quam ſæviter reſpondet *Pyus. Miror*, inquit, *te toi iuriſperitorum ora atq; oculos in te converſos non erubuiſſe, non pertimuiſſe iudicia, quod te, contra id quod indubitatiſſimi antiqui iuris eſt, dicentem, celẽtibus auribus ſuſtinuiſſe non dubito.* Hæc ille, & tandem poſt quædam verba otioſa. *Non ſunt*, inquit, *neſcij quid Imperator Conſtantinus ad Evagrium reſcripſerit. Inprimis maritum genitalis tori vindicem eſſe oportet, cui quidem & ex ſuſpicione convitium facere licet; nec inſcriptionis vinculo contineri veteres retrò Principes annuerunt.*

Diligentius ad iſta reſpondere, quid eſſet niſi ὕστερον πρότερον? Primum enim vt iſta dentur quid ſequetur? Num concluſionem obiectionis quam nunc præ manibus habemus veram eſſe? Imo verò ad primam huius obiectionis propoſitionem, ſine qua obiectio iſta prorſus nulla eſt, & quam ſupra ex puro puto Dei verbo refutavimus, iſta nihil omnino pertinent: Ad ſecundã quidem aliquid pertinent: Sed num eam ergo ſtatim abſoluũt? Imò vero vnicam tan-

tum exceptiunculam quæ contra eam allata est oppugnãt? Sed num illam igitur vnicam exceptiunculã amovẽt? Imò verò illa ex verbo Dei suprà confirmata nullis humanæ iuris-prudentiæ decretis everti aut amoveri potest.

Quid igitur istâ responsione efficit *Pyus*? Nonne saltem impudentiam aliquam, aut errorem aliquem *Howsoni* prodit, quasi illud pro iure civili attulisset, quod non est iuris civilis? Imò verò *Howsonus* illud de *inscriptione* nullibi dicit esse iuris civilis: tantùm vt alienum potiùs quam suum literis dissimilibus notavit. At illud dixit cuius contrarium iuris civilis est: sit istud (quod tamen non est admittendum) certè quod dixit ex iure divino dixit. *Et* ita dixit, vt in iure civili nihil contrarium agnosceret: & vt huic iuri ne tacitâ quidẽ cogitatione detraheret. Quis ergo ei, vt Theologo, iurisperitus, vel suæ facultatis amantissimus & acerrimus Zelotes, in hoc non ignosceret? Quanto magis *Pyum Theologum*, istã Theologiæ supra iurisprudentiam æquum erat prærogativam concedere? Nec in homine si nõ doctiore & digniore, certè fratre, & probo & modesto, ita barbarè desæuire?

Confecta certè res: sed de eo tamen, quod ex rescripto *Constantini* affirmet, accusatorem in adulterij crimine nõ teneri se inscribere, addamus si placet ex clarissimi & iurisperitissimi *Gentilis* nostri excusa ad *Howsonũ* Epist. *Primùm* etsi *Constãtinus*, cõtrà rescripsisse videatur, tamẽ & ius vetus est. *Iure mariti*, inquit, *Scævola*, *Dig. l.* 48. *Tit.* 5 *c.* 14. *Qui accusant, calumnia periculõ nõ eximuntur*. Et ius est novissimũ & meritò ius civile dixerimus, Authenticorum collatione 8. *tit.* 18, vt liceat matri & aviæ c. 8. *Deinde* nihil contrà rescripsit *Constantinus*: nec enim liberat maritum ab inscriptione, sed a vinculo inscriptionis: & nec a vinculo omni, sed a quodam.

Optandum quidem esset, vt cum ad ista *Pyi* respõderet, saltem vnum illum *Iulium Clarum* (addat, inquit *Gentilis* in Epistola illa ad *Howsonum*, vnum *Julium Clarum*) virum sanè notæ & iudicij singularis, *Philippi Magni Hispaniarum* regis supremum Consiliarium ac Regentem, consuluisset. Sed quoniam hoc non fecit tempore, nunc saltem, etsi paulò seriùs

riùs audiat. Locus est in calce libri quinti sententiarum receptarum, in practica criminali, quæst. 12. *Num.* 19. *Quæro*, inquit, *numquid mariti & alij accusatores de adulterio, qui præsumuntur accusare propter immensum dolorem, & ideò excusantur a præsumpta calumnia, teneantur se subscribere ad pœnam talionis? Respõdeo quod sic; & ita communiter tenetur, vt dicit An. in cap. Cum dilectus, post Num. 24. de calum: Et licet Ar. et. in D. e. Super his. Num. 19. referat Doctores communiter dicere, quod maritus de adulterio iure mariti accusans, non tenetur se subscribere, sed tantùm quando accusat iure extraneæ; tamen indistinctè tenendum est, quod tenetur se subscribere: quamvis enim excusetur a præsumptâ calumniâ, non tamen propterea debet excusari a vera: & consequenter neg. a subscriptione.*

Hęc *Clarus* ille; & ne fortè excipiat *Pyus*, si non accusari, saltem denuntiari rem a marito iure civili potuisse sine periculo calumniæ, ecce in eâdem practicâ quæst. 7. sub finẽ, *Vbi*, inquit, *esset aliquis denuntiator, qui non ex necessitate officij (quod scilicet faciunt Stationarij illi, seu Apparitores fiscales) sed sponte accederet ad denuntiandum, crederem de eo indicandũ prout de accusatore, & ideò ratione calumniæ illum esse condemnandum.* Saltem si suis oculis rescriptum Constantini ad Evagrium legisset *Pyus* noster, glossam simul quæ ascribitur agnovisset: nec ita pro *indubitato iure antiquo*, quod proculdubio controversum est, nobis commendasset. *Sed lo:* (inquit glossa in ipsa illa verba quæ a Pyo proferuntur) *non placet, debet enim inscribere, & sic libellum dare, vt. ff. eo. l. Miles, parag: Quidã & parag. sexaginta: sed n. tenetur vinculo inscriptionis, quia non tenetur de calumnia, nisi sit evidens.* Equidem in paragraphis illis *Pandectarum*, ad quas glossa illa nos remittit, non multum video ad hanc rem. Sed in eâdem lege parag. Socer, Socer (cuius libertas ab inscriptionis vinculo, cũ iure mariti ex rescripto illo *Constantini* eadem est) dicitur libellis (1) inscriptionis libellis, Præsidi datis, testatus se nurũ suam adulterij accusaturum, & cum dote contentus desisteret, tergiversationis (de quo crimine non minùs quam de calumnia in inscriptione caveri solebat) condemnatur.

Parag. 11. Reteguntur insignes in summâ ignorantia petulantiæ Pyanæ, dum clarissimi iuris consulti iudicium in Epistola manuscripta vellit.

Sed quomodò, inquit *Pyus*, *cui vinculo inscriptionis non tenetur, conceditur, non liberatur omni vinculo? Deinde quid distat vinculum inscriptionis ab inscriptione?* Equidem clarissimum Antecessorē nec interpretari mihi sumam nec defendere. Ne consului quidem ipsum, aut quenquam de hac re, à me. is certè studijs alienâ: quod tamen in re propria, & in qua peregrinus & advena nō essem libens facerem. Sed istud, vt dixi, totum penè παράεργον: nec tanti vt interpellandus esset quisquam: pauca tantum ipse, nihil definiens, interrogabo. *Primùm* cum illud constet ex glossa quam supra protuli, ab inscriptione distinguendum esse inscriptionis vinculum, quid si, cum negatur ab inscriptione liberari, & conceditur à vinculo inscriptionis liberari, inscriptionem quidem ipsam interpretemur, omnem accusationem eiusmodi, ex quâ si accusator in probatione delinqueret, ipse aut pœnæ talionis, aut alicui saltem malo non levi expositus esset; vinculum autem inscriptionis diceremus ipsam in scriptionis solennitatem, quâ se obligat ad leges accusatorias? Huc enim pertinere videtur quod sæpe legimus de inscriptionis solennitatibus, vt Cod. lib. 9. titulo, l. Si crimen. *Solennibus te inscriptionibus astringe.* Huc etiam quod habet *Iulius* ille *Clarus*, q. 12. *Nu.* 19. In illa quam dixi practica criminali, *Solennitas*, inquit, *subscriptionis*, id est inscriptionis, *vis quam fuit necessaria: nam obligatio ad pœnam talionis, etiamsi expresse non fiat, subintelligitur ex legis dispositione.* Et ne miretur fortè *Pyus*, quod subscriptionem interpretatus sim inscriptionem, ecce eâdem quæstione, *Num.* 15. idem *Clarus*, *Licet*, inquit, *communiter appellemus inscriptio, tamen rectè loquendo deberet appellari subscriptio.*

Sed vt hoc primum mittam. Quid si vinculo inscriptionis continere dicamus eum, qui debet condemnari nisi crimen probaverit: inscriptione autem solâ eum, de quo statuere magis in arbitrio iudicis relinquitur? Huc enim facere videtur, quod habetur in gloss. in Cod. lib. 9. titulo Qui accusare non possunt, l. Crimipis. *Calumnia*, inquit, *præsumitur eo ipso quod non probat quod intendit: non quod de calumniâ semper*

debeas

debeat condemnari, ſed poterit niſi aliqua iuſta cauſa impulerit eũ ad accuſandum.

Quid ſi etiam vinculo inſcriptionis contineri dicamus eum, qui præter inſcriptionem, etiam iuramẽtum, aut fideiuſſores, aut aliam rectam ſatis-dationem, & idoneam cautionem dedit: inſcriptione autem nudâ, qui nihil tale dedit? Favet enim huic interpretationi, & lex illa *Cod.* 2. De Iuramento propter calumniam dando, quam, in locũ *Deut.* 22. 19. recitat *Johannes Wolfhius*, quâ tenebantur accuſatores iurare ſe de bonitate cauſæ ſuæ perſuaſum habere: favet & lex generalis (cuius illud *Conſtãtinianum* reſcriptũ exceptio eſt) *Cod.* lib. 9. *tit.* 1. leg. Qui crimen publicũ: vbi cavet *Alexander vt qui crimen publicum inſtituere properant, non aliter ad hoc admittantur, niſi priùs inſcriptionum pagina præceſſerit: et fide-iuſſor de exercendâ lite adhibitus fuerit.*

Quid ſi etiam vinculum inſcriptionis interpretemur cuſtodiam, cum accuſator non ſecus ac reus aſſervaretur? Sic enim ſtatuunt *Severus* & *Antoninus*, *Cod.* li. 9. *tit.* de Accuſat: & Inſcrip. l. Accuſationis, vinculum inſcriptionis arripiat, cuſtodiæ ſimilitudinem, habita tantum dignitatis æſtimatione, patiatur: Item Grat. & Val. eodem *tit.* l. Nullus. *Non priùs accuſatori accommodatur aſſenſus* (id eſt venia accuſandi) *quam ſolenni lege ſe vinxerit.* Et paulo poſt de reo loquentes. *Pari*, inquiunt, *ſortuna retinebuntur, donec repererit cognitio celebrata diſcrimen.* Vinculorum enim nomine apud Iurecoſſ: quodvis penè cuſtodiæ genus, etſi non compedibus, aut mũmella, aut aliquo huiuſmodi, ſed tantum parietibus coerceamur ſatis notum eſt.

Sed cum in forma inſcriptionis, teſte illo *Julio Claro*. q. 12. nu. 16. duo eſſent: alterum quòd accuſator ſe obligaret ad ſimilitudinem pœnę: alterum quod promitteret de accuſatione proſequendâ vſq; ad finem: quorum prius quidem calumniæ, poſterius tergiverſationi, vtrumq; autem prævaricationi obſtitiſſe rectè dici poteſt (Triplicem enim iſtam accuſatorum temeritatem, Digeſtorum lib. 48. ad Senatusconſultum *Turpilianum* copioſè notat *Marcellus*) quid ſi dicamus

camus eos quos *Conſtantinus* ſuo reſcripto a vinculo inſcriptionis liberatos voluit, ab altero quidem vinculo, eo ſcilicet quod tergiverſationi opponeretur liberatos, ab eo verò q̃ calumnię, aut prævaricationi occurreret, minimè liberatos? Ita vt hoc ſenſu dicantur ab aliquo quidem inſcriptionis vinculo liberati, nec tamen ſimplicitèr ab inſcriptione, nec omninò a vinculo inſcriptionis.

Nec valet hic exceptio *Pyana*, quod fallax, & fucoſum, captioſumq; (ſic enim ſuo more verboſus eſt) Principum iſtud edictum eſſet, cum indefinitè dicerent, a vinculo inſcriptionis liberatũ, quẽ tamen aliquo ſemper inſcriptionis vinculo cõtinerent. Non enim captioſum iſtud eſſe potuit, cũ in hoc eodẽ reſcripto immediatè præceſſerit explicatio. Sic enim habent verba reſcripti. *Sed etiam*, inquit, *his perſonis legem imponimus, vt crimen abolitionis* (deſiſtendo ſcilicet a proſecutione criminali) *ſi voluerint compeſcant. Imprimis maritum genitalis tori vindicem eſſe oportet, cui quidem ex ſuſpicione ream facere coniugẽ licet: vel ſi eam tantùm ſuſpicatur, penes ſe detinere non prohibeatur: nec inſcriptionis vinculo contineri, cum iure mariti accuſaret, veteres retrò Principes annuerunt.*

Videtur ſanè his poſtremis verbis, duplicis ſuæ permiſſionis, tum de abolitione criminis, tum de retẽtione eius quã accuſaret, quarum neutra cum inſcriptionis vinculo conſiſtere poterat, ratio a *Conſtantino* reddi: quod *ſimiliter & veteres retrò Principes annuerint*. Ita ad duo illa prædicta reſtringendũ videatur illud de nõ exigẽdo inſcriptionis vinculo, vt eatenùs iſtud nõ exigeretur, quatenus duabus iſtis permiſſionibus obſtaret. Obſtabat autẽ priori, quatenus obligabat ſimplicitèr ad criminis proſecutionẽ: poſteriori, quatenus obligabat ad ſeriã & acrẽ proſecutionẽ. Qui enim retinet quam accuſat, nimis familiaritèr cum ea inimicitias exercere, & tantùm non prævaricari & colludere videatur. Sed cum tantũ ex ſuſpicione accuſatur, videtur hoc quoq; a *Conſtantino* permiſſum. Et cum huiùs & ſuperioris permiſſionis rationem reddit, quòd veteres ſimilitèr maritis vincula inſcriptionum relaxarint, videtur ſanè non de omnibus

Pyus D. *Raynoldum* prudẽter monentem, turpitèr neglexit.

bus vinculis, ſed de iſto vinculorum genere intelligendus.

Cetera quæ à *Pyo* contra Anteceſſorem nimis certè petulantèr, eum inſcitiam etiam in his rebus ſuam fateatur, planè aliena & levicula: nec, niſi vt qualis ſit iſte adverſarius appareat, omnino vllâ reſponſione digna ſunt. *In Novellis*, inquit, quid *de hac re poſteriùs conſtitutum fuerit, vti nos me latuit, ita ad inſtitutum meum non magis, & c?* Non quidem hoc eum latuit, quod inſignem in eo culpam aggravat; nã à D. *Raynoldo* maturè ante libri editionem admonitus fuerat his verbis, (niſi quod ex Anglicano in Latinum transferam) *Primùm quam*, inquit, *rem totã, vt nunc eſt deſcripta, de manibus dimiſeris, lege quæſo Novellas Iuſtiniani conſtitutiones, quæ varia Codicis corrigunt aut ſupplent: &, vt ſolent in legibus, quæq; poſteriora vim obtinent; Lege*, (inquit,) *Novell.* 11. *ca.* 8. *&* 9. Hæc & multa alia ille fidelis monitor; ſed hic ἀχρήστως ἀνδρὶ (ſi verum eſt *Heſiodi* iudicium) & hîc, & alibi admonitus, ad non leue ſuum dedecus neglexit. *Quid*, inquit, *de hac re poſtea* (ſcilicet in Novellis) *conſtitutum ſunt, ad inſtitutũ meum non magis quam leges Angliæ municipales attinuit.* Atqui primaria quæſtio de iure Moſaico, ſecundaria de iure civili: Ius autem civile quod tandem potiùs dicemus, quam illud vt dicitur, *Authenticum Novellarum*: quod ceterum ius omne imperialitèr interpretatur, ſupplet, corrigit, abrogat?

Ad ius autem Moſaicum, (vt illud inaniſſimum *Pyanum*, de ijs temporibus quæ ad Hebræorum tempora propiùs accederent omittam,) cur non Chriſtianiſſimi *Iuſtiniani* Sanctiones Novellas, magis quam alterius imperatoris cuiuſcunq; pertinere dicamus? *Codex*, inquit, *Iuſtinianeus ius vetus non malè dicitur.* Ita certè ſi tantùm ad *Novellas* comparetur. Et ſic, vt *Pyum* adiuvem, ab *Accurſio* in gloſſa Authentic: coll. 8. tit. 18. c. 8. dicitur. Nam quod affert *Pyus* vt hoc probet ex c. de emendatione Codicis parag. Poſtea, *omne ius antiquum in noſtris conſtitutionibus* (id eſt, inquit, *Pyus* in codice) *& Digeſtis reddidimus*; certè plures libri habent *in noſtris inſtitutionibus*. Nec ſi ius antiquum etiam in Codice, ſtatim

ſtatim ipſe Codex dicendus ius antiquum. Sed cum de triplicis iuris antiquitate comparatio eſt, *Digeſtorum*, *Codicis*, *& Novellarum*, quis vnquam Codicem *ius vetus* dixit: aut non ius Digeſtorũ *ius antiquum* agnovit? Quemadmodum in Codice, quæ in Digeſtis habentur, plus credo ſexcenties *ius vetus* dicuntur.

Nam quod putat *Pyus* a *Gentile* nullum ius vetus dici, niſi quod ante legem regiam reſponſum eſſet: vnde illud quoq; *Gentili* imputat, quaſi cum *Scævola* reſponſum ius vetus diceret, ſimul etiam hunc *Scævolam* ante legem regiã vixiſſe ſupponeret, & vnum fuiſſe ex antiquis *Munijs*, & eundem qui librum *finitionum* ſcripſit: magna ſunt iſta & mera ſomnia *Pyana*, in quibus nimium quantum ſibi placet! *Falleris*, inquit, *Alberico ſi huiuſmodi titulis mihi fuerit fieri &c.* At certè *Gentilis* nihil prorſus tale. Tantùm reſponſum illud *Scævolæ* ius vetus dixit, & ideò dixit quia in *digeſtis* habetur, quæ ipſo titulo veteris iuris enucleationẽ profitentur. Quis autem iſte *Scævola*, & vtrum auctor fuerit libri *finitionum*, & vtrum ante regiam legem vixerit, ne verbum quidem apud eum: multò verò minus vt putaret nihil dicendum eſſe ius vetus, niſi quod ante *Auguſtum* & legem regiam fuiſſet.

Simili planè negligentiâ *oſcitantiam* in Anteceſſore accuſat *non ferendam*, quaſi illud de remiſſo inſcriptionis vinculo, non ante *Conſtantinũ* fuiſſe dixerat, cũ ille nihil prorſus tale voluerit: id modò dixerit, iſtud ſi ad illud *Scævolæ* comparetur, non vetus ſed novum ius eſſe. *At Theodoſianus* inquit, *Codex, potius quam Iuſtinianeus, ius novum dicendum. Hic enim tantùm Chriſtianorum principum reſcripta continet, ille ab Adriano repetit.* Imó verò & *Theodoſianus* Codex *Iuliani* quædam habet, quem nemo Chriſtianum vocaverit: Et hunc codicem *Pyus ius antiquum* vocat. Et ſi (quod vrget pro codicis antiquitate ſupra antiquitatem digeſtorũ) verum eſt, *antiquius eſſe quod prius editum eſt*, certè *Iuſtinianeo Theodoſianus* antiquior codex tantò, quantò *Theodoſius* ipſo *Iuſtiniano*.

At Scævola ille, inquit! Pyus, *non erat ex vetuſtis. Sed Cer-*

bidius

bidius Scævola auctor libri Regularũ, ex quo responsum illud Digestorum lib.48.tit.5.l.14, desumtum: Iurisperitorum autem responsa pro lege non erant ante Theodosium: Principum autem rescripta ab initio valebant: ideoq; isto Scævolæ responso ius antiquius illud quod rescripsit Constantinus. Lepidum sanè argumentum homini otioso diceret quàm hic prolixus, garrulus, & cum multa hallucinatione in rebus nihil attinentibus curiosus sit: et, id quod maximum est, homo in his rebus infans, scribens ad peritissimum. Sed dum asserit ideò antiqui alicuius Scævolæ istud responsum esse non potuisse, quia in Digestis eorum tantùm responsa, qui post legem regiam ab imperatoribus auctoritatem habuere, etiam *Alphenum* excludit, cuius sunt in Digestis plurima. Nec intelligit (fefellit enim eum *Valla* homo iurisconsultorũ veterum calumniator) *Quintus Mutij Scævola* in Digestis ex libro *finitiorum* nõ pauca esse cuius libri auctorem agnoscit ante legem regiam fuisse: sed quàm verè ipse viderit.

Sed vt Cerbidij Scævolæ, qui sub Severo vixit, istud responsum fuerit, nonne satis ex hoc responso constat nihil dum Principes contrà rescripsisse? Quî enim auderet homo amens contra principum sanctiones respondere? Quomodò ergo *Pyus* noster, *illud veteres retrò principes de Augusti lege Iuliâ* etiam contra glossam interpretatur; quæ ad rescriptum *Alexandri* eodem hoc titulo, leg. *Jure mariti*: & ad responsum in Digest lib.4.tit.de minoribus 25. annis, l. Auxilium, nos remittit? *At vel non est*, inquit, *ἀντινομία*, quomodo enim esse potuit, cum auctores digestorum, & Codicis in expressis mandatis, vt ab ea caverent habuerint) *vel si est, saltem potior auctoritas Codicis*: certè nos ostendimus *ἀντινομίαν* non esse: vnde si id totum quod *Pyus* tam multis disputat concedatur, vt ius illud *codicis* respectu responsi *Scævola* non sit dicendum ius novum, nihil tamen quod ad rem pertineat assequitur, cum, vt suprà docuimus, ita cum illo *Scævola* responso consentiat, vt maritum ab inscriptione minimè liberet: ideoq; vt vetus ius dicatur, & vetus respectu istius *Scævolæ*, non tamen vetus jus istud *Pyo* quicquam favet.

Sed si non est ἀντινομία, vt hoc loco putat *Pyus*, cur non aliquam saltem probabilem verborum *Scævolæ* interpretationem protulit, quæ nimis sanè evidenter contra ipsum faciunt? Imò si non est ἀντινομία, quorsum illa tam multa de comparatione antiquitatum, vt ita altera lex alteri anteponeretur? Et si iam id agitur, *vtrum ius*, maioris sit auctoritatis, certè *Authentica* illæ maximæ sunt auctoritatis, in quibus expressè dicitur collatione 8. l. Quia verò plurimas: *Ita tamen vt etiam ob illatam adulterij accusationem, & non probatam, illis quoq; maritus subdatur supplicijs, quæ etiam mulier esset passura, si huiusmodi esset accusatio approbata.*

Concludam hunc locum duobus dictis, quorum alterum est ipsius *Gentilis* nostri, qui in priuatâ quadam ad *Pyum* Epistolâ, in qua ad manuscriptam illam *Pyanam* breviter respondet, postquam ad hunc locum de iure antiquo, qui, vt dixi, apud *Pyum* prolixissimus est, perueniisset, ita respondet. *Et nunc*, inquit, *Deo gratias, illuc perueni vbi sanè saltabo saltum latissimum: da veniam: sex ista folia de legū-lateribus, de legum interpretibus, de Scævolis, de iure vetere Romanorū, legere iterum non possum: putes hic quod volet. Ego sex ista folia iterū legere nolo, qui manum hic mihi commodat puer, festiuissimum lusum polliceturtibi, & dabit, si ego non vetem.* Hæc *Gentilis*, patientior sanè in hoc aduersario, quam olim fuit in *Phormione Hannibal*. Alterum dictum ex disputatione *Bezæ* contra *Erastum* adijciemus, vbi tractans locum *Matt.* 18. 15. de triplici processu cum frater contra nos peccauerit, ei qui sine teste læsus est suadet, vt ne vltra priuatam admonitionem progrediatur: *vlteriùs*, inquit, *progrediens* (si aduersarius non agnosceret) *discordiam augeret, ac etiam ipse sibi malum arcesseret: functus igitur fuerit hominis Christiani munere talis quisquā, cum a quo læsus esset priuatim officij admonens: & cum longiùs procedere tutò nequiret, testatus potiùs acceptam iniuriam sese vltrò condonare, contumacem alterum arcano Dei iudicio relinqueret.* Hæc *Beza*.

Quæ adduntur a *Pyo* p. 52. & 53. libri excusi, eum vt videatur in finem, vt doceat causam adulterij soli marito conscio,

scio,etsi ad legem etiam divortij pertineret,tamen ex lege zelotypiæ prosequendam fuisse: si quidem hoc volũt, in eo quoq; vel maximè reprehendendi sunt,quod legis-latoris sapientiæ hoc pacto plurimum derogetur. Quorsum enim duas leges ferret,cum semper vnicâ vtendum esset?Sed vt hoc omittatur,rationes quas affert hoc loco plures, cur in huiusmodi causa,si ad legem zelotypiæ spectaret, nunquã ex lege divortij,sed semper ex hac lege zelotypiæ agendũ esse, videamus. *Prima* est, quia *ista verum patefacit, illa secretum sinit.* At marito quidem iam antè patefactum fuit, ceteris vt patefieret non semper interest. Quid enim si iam resipuit peccatrix,& maritus quoq; iniuriam saltem ex parte condonavit?*Secunda* ratio, *quia severiùs punit nocentem.* At aliquando certè opus vt remissiùs puniatur, vt in incestuoso illo *Corinthio* postquam resipuerat. Vtq; licet aliquando magistratui civili (quod *Pyna* credo palam cum *Cartwrito* negare non audebit)pœnas capitales iure condemnatis remittere,vt docet exemplum Davidis in Absolomo, & parabola mulieris *Tekoæa*, 2*Sam.* 14,11.ita etiam marito,quia in hac causa quasi privatus quidam magistratus constitutus est,dum privato ipsius indicio vxoris divortium peragere-tur.

Tertia ratio, quia *ex zelotypiæ lege in huiusmodi causa aquissimè semper ageretur, cum altera lex ab omni æquitate & honestate aliena sit. Primùm*, quomodo probat semper in hac causa æquissimè agi ex lege zelotypiæ? Verbosus est suo more; *vt panca de multis, inquit, delibem, vxor castissima* &c. Non possũ prolixa verbatim patientèr repetere: sũma est, æquum est vt innocens, de qua maritus tantùm suspicatur, ad hoc examẽ adducatur, ergò semper æquissimum vt nocens, quam maritus certò novit adulterium commisisse, idẽ patiatur. Imò verò in suspectâ innocente longè hoc æquius, ut ad id adigatur, quod nihil in præsens vel levissimi incommodi sentiebat, (aqua enim quam bibebat, amara gustui non erat, ex sancto labro hausta *Num.*5.17.in quod ad sacros vsus importabatur: tantùm ob amaras diras, quibus scilicet mulier

Parag 12. Ad primam illam exceptionem Howsonianã, de qua *Parag.* 10. quæ id potiùs exponebat cur opus lege divortij, etiam in causis quæ ad legem *Deut.*22. de adulteris morte puniẽdis pertinerẽt adjicitur hoc paragrapho cur opus lege divortij, etiãsi fateremur de ijs causis solis hanc legem agere, quæ etiã pertinerent ad legẽ zelotypiæ.

illa se deuouebat amaritudinis aqua dicebatur) in futurū autem certissimam apud maritum concordiam, & fœcunditatem, & apud omnes bonam famam consequebatur. In muliere autem nocente, de cuius culpa maritus esset conscius, certè alia prorsus ratio: illa enim ad certam mortem duceretur. Ideoq; vt in innocente æquissimū fuerit, non tamen similitèr in muliere nocente se rem habuisse dicendū est.

Sed si semper æquum in nocente suspectā à marito, cur non semper æquum in eā, quæ ita esset nocens, vt maritum non lateret? *Primùm*, non hic quæritur vtrum si semper æquum, sed vtrùm ità semper æquum, vt ex hac lege potiùs, quam ex lege diuortij semper agendum esset. *Deinde*, rationes cur æquius esset nocentem de qua maritus tantùm suspicetur, quam de qua certò sciat, ad hoc examen adigi, initio huius tractatus, parag. 9. exposuimus. Videamus nunc illud alterū quomodo probet, quod nimis audacter, ne dicam impiè, legem divortij ab omni *ratione*, & *honestate* & *æquitate* alienam dicit: et eam certè legem, quæ tantùm in causa adulterij divortium permittat, & tātùm permittat, & ob vrgentem σκληροκαρδίαν Iudaicæ necessitatem permittat. Certè Christus *Matt.* 19. hanc permissionem excusat: et, si *Pyo* credimus, permissionem non solùm in vnica ista causa, sed in qua vis causa excusat. At quod ab omni *honestate*, *æquitate*, *ratione* alienum esset, quis nisi stultus, aut malus excusaret?

Vbi nunc illa Tragica apud *Pyum*, p. 36. & 37. cum vociferatur, nullam in dimissione ob adulterium σκληροκαρδίαν aut iniquitatem esse? Nam si in permissione iniquitas sūma, certè etiam in executione σκληροκαρδία. Vbi etiā quod tam paucis post periodis, p. 55. (vt alia commentatione 2^a. parag. 1. & hac ipsa comm. parag. 5. ad objectionem 7. & hoc ipso tractatu, parag. 9. in conclusione disputationis de priore propositione notavimus, prętermittentur) vbi inquā est, quod, p. illa 55, dicit, illud Christi, *Nisi ob fornicationem*, & nunc, & olim tenuisse? Respondebit credo, iniquitatē non

in eo à ſe ſtatui quod ob ſcortationem eijciatur, ſed quod ex vnius mariti teſtimonio eijciatur. Rectè igitur ab *Howſono* in hujuſmodi ejectione σκληροτραχηλία collocata. Quod enim non niſi iniquiſſimè conceditur, certè poſtulare ſibi id concedi, ideoq; & vti conceſſo, σκληροτραχηλίας eſt. Adhæc ita permittere nocentem eijci, vel ſolo marito conſcio, vt nocenti ad magiſtratum ſi vellet, provocatio eſſet, vtq; ſi innocens eſſet, conſcientia eijcientis graviſſimo peccato oneraretur, quæ quæſo iniquitas? Peſſimè enim & parum piè iſtâ à *Pyo* confunduntur, quaſi idem eſſet concedere divortium in quâvis cauſâ, & ita concedere divortium in ſolâ cauſâ adulterij, vt vel ex ſolo mariti teſtimonio eijcienda eſſet.

Primùm enim aliqua cauſa offenſionis nunquam ferè nõ incidit: vt autem quotidie marito probabilitèr mentiendi de vxoris adulterio occaſio incideret, fieri non poteſt. Deinde plerunq; cum mentitur maritus, probæ mulieri ſuppetunt ſatis clara argumenta, quibus maritum mendacij convinceret: cumq; dicimus ſolum mariti teſtimonium ſuffeciſſe, nõ hoc ita dicimus, quin ſi mulier eum mendacij convincere poſſet (id quod per prudentis magiſtratus diligentiam, ad quem, vt dixi, innocenti appellare licuit, plerunq; non difficultèr fieri poterat) planè irritum eſſet divortium. Nec tamen ſtatim ſequeretur, quod *Pyus* ad maiorem hujus permiſſionis invidiam affert, vt ſi eum non convinceret, infamis eſſet, cum ſæpè accidat, vt quę proba eſt, probam ſe eſſe probare nequeat.

Sed maximum ſanè harum duarum permiſſionum diſcrimen (vnde dixi illud apud *Pyum*, *& quid obſecro differt hoc ab eo &c.* parum pium eſſe) illud certè eſt, quod in conceſſione ob ſolum adulterium, etſi ſolius mariti conſcientia ſufficiat, oneratur maritus peccato maximo, & graviſſimæ irę divinæ periculo, ſi mentiatur in re tantâ: in conceſſione autem, vt liceat divortium quâvis de cauſâ, hoc toto onere ſeleveretur. Quod onus ſi quis nihili eſſe dicit, vt *Pyus* hoc loco, ab impietate & blaſphemia excuſari nequit. Nã quod

statim illud discriminis agnoscat, quod plus esset ad nostræ concessionis invidiam, dum fama innocentis magis læderetur, (de qua re iam satis suprà dictum,) ad istud in onere peccati discrimen planè nihil pertinet. *Sed iniquũ*, inquit, *vt permittatur adultera, vt eius velit, vel ipsi fortè adultero, nubat.* Iniquum certè si probari posset, semper, & nunc quidem abolitâ hac permissione Mosaicâ, simpliciter iniquum, vt vivente priore marito iterum nubat. Sed nonne hoc potiùs cõtra ipsum Pyum, cuius sententiâ, si suis auctoribus stabit, etiam parti nocenti post divortium, postquam innocens vxorem novam duxerit, novæ nuptiæ concedentur: quas fortè etiam, vt fit in rebus secretis, vel invitis constitutionibus Ecclesiasticis, cum aliquo amatorum & adulterorum suorum celebrabit. Sed de prima, contra secundam quam proposuimus propositionem *Pyanam*, exceptione, nimis fortè multa.

Parag. 13. Defenditur secũda exceptio contra secundam propositionem obiectionis quæ in tio parag. 9. proposita est.

Altera exceptio contra eandem propositionem habetur apud *Howsonum*, p. 57. & 58. in hanc sententiam. *Et qui criminaliter læsus est* (vt maritus in adulterio vxoris criminaliter læditur) *sæpe licet non criminaliter, sed civiliter iniuriam persequi* (id est, ita vt non quærat extremam & publicam vindictam, sed tantùm id quod suâ privatim interfit:) *at qui in causa adulterij agit ex lege divortij, quodammodò civiliter agit, qui antè ex duabus aliis legibus agit, criminaliter agit.* Ergo, *etiamsi hæc causa ad alteram ex his duabus pertineret, sæpe tamen liceret vtentrà earum vti: sed potiùs tertiâ istâ lege divortij agere.* Maior de qua sola, nisi fallor, ambigi potest, ab *Howsono* confirmetur: tum ex eo quod iuri civili & canonico hoc conveniat: tum etiam exemplo *Iosephi*, *Mat.* 1. 19. *Iosephcũ esset iustus, & nollet eam ignominiæ exponere, voluit eam clam dimittere.* Adijcere possumus & eorum omnium Theologorum auctoritatem, qui reconciliationem inter maritum & adulteram vxorem resipiscentem admittunt. Quod certè præstantiores Theologi ad vnum omnes faciunt, nisi forte *Hieronymum*, & paucos alios excipere volueris. Et vtcunq; iure civili Codicis cõtrà statui videatur, vt vrget *Pyus*, p. 37

in

in *Authenticis* certè *Iustiniani* imperatoris Christianissimi, coll. 9. tit. 7. c. 7. locus reconciliationi relinquitur: cum iubetur mulier in monasterio per biennium expectare, si fortè maritus eam recipere voluerit. Quâ sanè sanctione quicquid priores principes contrà statuerunt, revocatur.

[Nec dubium esse potest, quin qui reconciliationem inter maritum & vxorem admiserunt, ijdem quoq; marito, vt ne summum iuris rigorem contra eam vrgeret, permiserint: cũ ipsa reconciliatio non modò de rigore, sed etiam de moderatione iuris nonnihil delibet. Eodem pertinet & *Beza*, qui in illud *Matth.* 1. 19. a nobis dissentire videtur, satis tamen manifestè confessio, tum in tractatu de repudiis, vbi reconciliationem inter maritum & adulteram admittit; tũ in disputatione cõtra *Erastũ* de excõmunicatione, in locum *Matt.* 18. 15. ad tertiam *Erasti* obiectionem: vbi ita loquitur; *De atrocissimis*, inquit, *iniurijs, imò de criminibus (excepto in Israelitica politiâ homicidio voluntario) quod ad priuatum damnum attinet, transigere inter se priuatis iure conceditur: imò atrocissimas etiam iniurias condonare tenentur Christiani, neq; necessariò apud magistratum illas persequi coguntur, vt apparet ex Iosephi exemplo Mat.* 1. 19. Hæc *Beza*. Nec in maiore exceptionis prædictæ tantum postulamus, quantum hìc conceditur: ne tantum quidem quantum concedit doctissimus *P. Martyr*, qui in calce loci communis de adulterio, *Ex hìs*, inquit, "*iam liquet, marito licere cum vxore adulterâ in gratiam redire, quem tamen oportet vxorem accusare adulterij, si crimen publicum fuerit, aut si perseveret in scelere, aut si proles ex adulterio suscepta fuerit.* Ita non semper, secundum huius doctissimi viri iudicium, adultera, ne accusanda quidem erit a marito, multo verò minùs semper ad extremum ex lege supplicium prosequenda.

Quod istud cum canonico iure convenire dixit *Hemsenius*, ex loco apud eum notato, qui habetur 4°. Decretalium *tit.* 20. c. 4. satis apparet. Vbi dum statuitur mulierem non modò *Iudicio Ecclesiæ, sed etiam propriâ voluntate*, ob causam scortationis a viro seperatam, nisi posteà reconcilietur dotẽ

&

& dotalium amittere (id quod ex vsitato iure potiùs tantũ ex criminali, & seueriore quadam contra adulteram actione consequebatur) certè non modò seuerior illa agendi actio ad vindictam publicam & vltimam, sed mitior ista ad tori & mensæ separationem approbatur. Nec aliud sanè voluit *Howsonus* de canonico iure inferre: etsi per culpam typographi literas Italicas, vt vocant, pro alterius generis literis exprimentis, & ex aliâ etiam culpâ, quam statim notabo, videatur plus ex iure Canonico, quam in eo, vt opinor, reperiri possit, annotasse. Sed istud non tangit *Pyum*, vt qui locum in iure Canonico, nisi fallor, non inspexerit, & ex alienis aduersarijs, quod ex parte non exiguâ pro certissimo scimus, disputationem suam consarcinauerit.

In eo quod dixit *Howsonus* istud etiam in iure ciuili suas vires habere, vehemens est & acerbus. Locus apud *Howsonum*, vt ex priore editione, quæ sanè ex hac parte verior & melior est, a *Pyo* p. 49. satis credo fideliter exscribitur, integer ita se habet. *Porrò hoc etiam*, inquit, *suas habet vires in iure ciuili, vbi pro arbitrio suo (quantum ego assequor) liceat homini agere aliquâ in culpâ, vel criminaliter, vel ciuiliter. Nam cùm vxor fornicatur, vir postea cum accusare de adulterio, non criminaliter ad mortem, sed ciuiliter ad tori, et cohabitationis separationẽ, & lucrabitur dotem*, vt patet extra. De dot. post fest. per totum. Notandum hoc loco, primò quidem, tantùm verba postrema, scilicet *& lucrabitur dotem*, literis illis quas Italicas dicunt, notari da fuisse, vt ista sola ad illud *vt patet extra &c* pertineant: & ita exponantur, vt supra sunt a me exposita. Cetera enim, vt ciuilis iuris, ab *Howsono* posita sunt, id quod hac solâ appositâ distinctiunculâ satis apparet. Nec opus sanè pluribus ad grauem illam reprehensionem *Pyanam* p. 51. lin. 21. diluendam, vbi *Howsonum* ex eo colligit, vt nobis Canonicum, sub nomine iuris ciuilis ignarissimè obtrudere, quod huic loco appositus ab eo sit titulus ille qui in Decretalibus habetur.

Secundò notandum, quod in posteriore editione legitur post primam periodum interserta, *& iure Canonicum vxor*

&c.

&c. tria illa verba *& iure Canon.* a correctore Typographico in posteriorem, quæ intra septem dies insecuta est, editionem inculcata: & expunctam causalem particulam. Nam, vidit corrector ille, quisquis erat, illud *vt patet extra*, ad ius Canonicum, non ad Civile pertinere: putavit etiam totum illud, *Cum vxor fornicatur*, in titulo illo *extra &c* haberi: animadvertit etiam nisi illud *& iure Can.* interseretur, ita hunc locum præ se ferre, ac si illud *cum vxor &c* iuris esset civilis. Hinc *Howsonum* tempore occupatissimo brevitèr & obscurè consulens, responsum credo nactus, vt, si quid per festinationem erratum manifestè esset, ipse videret. Hoc pacto totus locus corruptus, & *Pyana* quidem reprehensio, quæ penè semianno post insequuta est, præoccupata; quèadmodum clarissimi viri, *Gentilis* in excusâ ad *Howsonum*, & *Raynoldus* in manuscriptâ privatâ ad *Pyum* indicarunt.

Sed aliam reprehensionem quam *Pyus* homo negligens vel potiùs harum rerum imperitus, non vidit, minimè declinavit. Vbi enim quæso jus Canonicum, aut in illo titulo qui apud *Howsonum* notatur, aut in toto suo corpore totum illud his aut similibus verbis dicit? Aut cur *Howsonus*, quod certissimi est civilis iuris cũ de civili iure ageret, ad ius Canonicum, cuius & antiquitas, & ad præsens propositum apud auditores auctoritas minor esset, transferret. Quare retentâ lectione *Pyanâ*, & positâ eâ quam adhibuimus ad eius reprehensionem responsione, restat vt quod *Howsonus* satis modestè, & *pro eo quod ipse*, vt ait, *assequi potest*, dicit esse iuris civilis, satis confessi iuris civilis esse paucis doceamus. Satis hoc nobis testabitur ille quem dixi *Iulius Clarus* lib. 5. Sententiarum receptarũ parag. Adult. *Num.* 13. *Et vota*, inquit, *quod licet Bartolus in lege, Si mulier. ff. de adul. para. Socer. tenuerit, quod si* (lego nisi) *maritus criminaliter accuset vxorem de adulterio, non lucratur dotem: veritas tamen est in contrarium: Quod scilicet etiamsi eam civiliter convincat de adulterio, lucratur dotem. Et ita contra Bartolum est communis opinio, vt attestatur Alex. cons.* 189. *Num.* 10. *lib.* 6. *Apostill. ad Bar. in D. para. Socer.* 53. Accedat ad huius insignis viri iudicium Addi-

tio ad Bartol. loco prænotato. *Et sic*, inquit, *contra Bartolũ est communis opinio*, dic. vt Alex. l. Cum mulier sol. matri: ex cuius additionis circumstantijs, & ex ipsis verbis Bartoli, imo & ex ipsius sententiæ serie apud *Julium Clarum*, manifestissimum est vitium illud Typographi, quod apud eum notaui, vt legendum sit *nisi maritus*, non autem *si maritus*.

Sed & idem *Clarus* in Practica criminali, quæ pro appendice ad librum 5us. sententiarum receptarum adijcitur, q. 1. copiosè docet in causis quæ duplicis istius actionis, criminalis dico & civilis capaces sunt, partem offensam posse, vel vtramq; actionem intentare, vel alteram tantũtid modò cavens, vt si simul vtraq; intendatur in eodem libello, altera magis principaliter proponatur. Quod ab *Howsono* dicitur *non criminaliter ad mortem*, de lege Codicis intelligẽdum, per quam in vtroq; sexu adulterium capitale erat, vt testatur prædictus *Iulius Clarus*, Par. adult. nu. 7. Lege enim Authentic. tantùm in masculo mors erat, in fœmina propter fragilitatem sexus commutata pœna: vt virgis cæsa in monasterio ad biennium reconciliationem expectaret. Et si intra id tempus a viro non reciperetur, perpetuo ibi cælibatu detineretur. coll. 9. tit. 17. ca. 7.

Sed vt ista a nobis, & a Causa alieniora tandem mittamus, quod in exemplo *Ioseph*, *Matt.* 1. 19. vrget *Howsonus*, hanc habet sententiam: *Ioseph putans Mariam ex lege ob adulterium obnoxiam pœnæ capitali, id statuit, quod ei ex iure Mosaico licuit. At statuit eam tantùm repudiare, ergo marito etiam cum ad alias pœnas graviores vxorem persequi poterat, licuit solã repudiatione contentum esse, & nihil vltrà contra eam agere.* In maiore, sola penè difficultas, quod dicitur *Iosephus* putasse *Mariam* adulteram. Putant enim aliqui probabilius esse eum potiùs eò inclinasse, vt existimaret gravidam factam ante nita secum sponsalia. Sed primũ & *Augustinus* quæst. 54. ad Macedonium, & sermone 16. de verbis Domini contrà sentit; & cum eo alij plures, & in ijs *Calvinus*, Harmon. Evangel: *Suspectam*, inquit, *habebat vxorem adulterij, imò adulteram esse persuasus fuit*. Deinde etiam ex lege *Deut.* 22.

21. *violatio pudicitiæ ante nuptias in muliere tandem nupta capitale erat:* vt vtrovis modo gravidam dicamus a *Iosepho* existimatam, siue ἀπὸ πορνείας cum *Beza*, siue ἀπὸ μοιχείας cum alijs, eodem recidat, vt *Ioseph* putaverit *Mariam* culpæ capitalis ream fuisse.

De alterâ parte maioris, eum id statuisse quod ei licuit, non possumus cum modestia dubitare: cum dicatur *Mat.* 1.19. eum vt qui vir iustus esset, δίκαιον ὄντα, id consilij inijsse: & probat certè hoc eius consilium *Beza* loco prænotato, ex disputatione contra *Erastum*. *Raynoldus* etiam, vt suprâ notavimus hac commentatione parag. 9. sub finem: vbi alia in eius sententia pro maiore, & minore, & conclusione huius syllogismi indicavimus.

Minorem doctiores certè nonnulli improbant: putant enim Iosephum statuisse exilio solum vertere, & ità vxoris famæ prospicere, non autem dare ei libellum repudij. Rationem afferunt vnicam, quia libellus repudij non clam, vt volunt, sed palam dabatur. At certè respectu illius παραδειγματίσεως, privatim omnis repudiatio, & clanculum fiebat: & nisi mulier ad magistratum provocabat (id quod in consciâ vt præsumebatur, & in re evidenti non videbatur futurum) poterat intra privatos parietes transigi. Deinde, quantam vim faciunt verbo ἀπολῦσαι, dum pro eo legunt *deserere eam*, seu ab ea exulare, cum hoc verbum peculiari & proprio vsu ob vinculi coniugalis dissolutionem, in scripturis sæpissimè ad divortia restringatur? Postremò, quomodò hoc consiliũ, quod pro viri iusti consilio expressè commendatur, a violatione præcepti divini *Deut.* 24. v. 1. excusabunt, vbi nemini conceditur vxorem sine libelli repudij traditione deserere? aut si dicent *Iosephum* non putasse eam fuisse vxorem suam, (quod tamen in priore propositione probavimus) quomodo consuluisset *Iosephus* famæ *Mariæ* pręgnantis, quam satis indicaret se pro sua vxore non agnoscere?

Sed cum *Iansenij*, qui vtramq; propositionem nostram in sua Harmonia asserit, mentionem fecisset *Howsonus*, eorum quidem quæ ad vtriusq; propositionis confirmationẽ

attulimus, *Pyus* noster nihil attingit, alia modò circa hunc *Iansenium* carpit. Primum, quod hominis *Pontificij* iudicio quicquam tribueret: quod tamē, cum de hac re *Pontificij* etiam alij aliter sentiant, quid vetat fieri, vt ipsos sibi ipsis opponamus? Addit & *Iansenium* in harum rerum circumstantijs *Howsono* minùs favere. Primò, quia vt putat, repudiatio illa occulta apud *Iansenium*, nō potest esse eadem cum Mosaico divortio, quod palam fiebat. Deinde, (nam de primo ipso suprà modò diximus) quia dum insinuat, alios in *Maria* adulterium divortij causam fuisse nunquam suspicatos, satis significat id quod & aliàs etiam apertiùs significat, varias, præter adulterium, divortij causas Iudæis in vsu fuisse: quasi verò id *Howsonus* vnquam negasset: aut non de iure apud Mosem, sed de vsu apud Iudæos hanc disputationē instituisset. Ac de obiectionibus *Pyanis* illis, quas diximus Elenchicas, quibus non tam argumenta, quam sententiam *Howsonianam* oppugnat, hactenus satis, vt speramus, diligētèr, & fidè integra diximus.

Parag.14. Solvuntur tres obiectiones à Pyo prætermissæ.

Aliæ huius generis difficultates quæ à *Pyo* prætermissæ, veritatis studiosū impedire aut perturbare possint, perpaucæ credo sunt. Vna minimè dissimulanda ista est. *Absurdum est, vt maritus innocens, qui non habet donum continentiæ, ad perpetuam continentiam obligetur: At ex Howsoniana sententia videtur hoc non rarò eventurum*, Ergo *ex hac sententia videtur aliquid absurdum eventurum*. Minor probatur hoc modo. *Sæpè accidit vel ob genus adulterij, (vt si cum patre, fratre, aut filio mariti commissum sit) vel ob gravitatem peccati, (vt si impudēter & palam in adulterio perstetur) vt divortium sit necessarium & irrevocabile; sæpè etiam in huiusmodi divortio accidit, vt pars innocens non habeat donum continentiæ*, ergo *ex nostra, seu Howsoniana sententia sæpè accidat, vt pars innocens non habens donum continentiæ ad perpetuam cōtinentiam obligetur*. Hęc, nisi fallor, postillam ex *Mat.19.9.* ad quam tota disputatio *Howsonianus* collimat, præcipua est eorum obiectio, qui secundas post divortium ob adulterium nuptias probant. Et ad maiorem quidem, quæ plus quam probabilis est, perpauca sunt quæ

excipi

excipi possunt. Vnum est, quod non magis hoc absurdum sit in ijs qui ob culpam vxoris, quam in ijs qui ob calamitatem vxoris, vt ob insanabilem lepram, aut vulnus, aut aliquid huiusmodi, ad talem necessitatem obligantur. Aliud est, quod absurditas non tam in eo sita sit, quod nõ habens donum continentiæ, ad eam obligetur, quam quod ad eam obligetur, qui eam habere non potest. Videtur autem eum, qui non suâ culpâ (vt fit in ijs qui Deum tentant votis temerarijs) sed providentiâ divinâ in huiusmodi calamitatem incidit, si quidem piè quærat, habere posse donum huiusmodi.

Ad minoris confirmationem, vt alia satis probabilia omittam, respondeo, maximam esse in Enthymematis consequentia fallaciam: Non causæ scilicet pro causa. Non enim sententia eorum qui negant secundas post divortium ob adulterium nuptias causa est huius absurditatis, nec constitutio Ecclesiastica aut civilis, huiusmodi nuptias prohibẽs omninò huius absurditatis causa est, sed imperfectio legum politicarũ, quæ deberent huiusmodi scelera morte punire, & ita vinculo violati istius coniugij per mortẽ partis nocẽtis dissoluto, partem innocentem ista calamitate liberare. Ita cum culpa omnis sit in causa, non ad sententiam nostrã, sed ad legis imperfectionem, (quæ tamẽ suam quoq; excusationem habet,) culpa omnis istius absurditatis, & aliarum quæ a *D Raynoldo* tractatu de divortijs c. 3, copiosè enumerantur, referenda est.

Nec ob istam legis-latorum culpam licitum dixerimus, quod alioqui illicitum fuisset. Quis enim non videt quam sit absurdum, vt iniqua ideo darentur, quia iusta negantur? peculiaris ista dominationis & omnipotentiæ divinæ prærogatiua: vt contra legem suprà dispensare possit, & illud faceret licitum, quod alioqui parum licuisset. Ita grauissimũ læsæ maiestatis diuinæ crimen incurrunt, qui rerumpub: vitio, aut culpæ legis-latorum istud tribui postulant. Id quod certè impudenter faciunt omnes, qui ob incommoda violati cælibatus postulant concedi novum coniugium vivẽte

adhuc adulterâ. Ex eo enim hæc omnia incommoda ortũ habent, quia legis-latorum culpâ aliud negatur, id est, quia impia adultera morte non afficitur. Ita cum ob ista incommoda concedi postulant istud, certè ideò istud concedi postulant, quia aliud per culpam legis-latorum negatur.

Vidit hoc ille, à quo inviti, cogente veritate, dissentimus, de quo modò dixi *Reynoldus*; vnde tractatu illo de divortijs c. 3. vbi, ex eo quod multa licita sint quæ non expediunt, diserte negat, ex incommodorum quæ hinc aut inde evenirent consideratione, decidendam esse istam controversiã. Nec tamen, quod addit, *in nostra quam in sua sententia plura esse huiusmodi incommoda*, admisit doctissimus & pientissimus D. *Whitgiftus* nuper Cantuarien sis Archiepiscopus: vt apparet ex verbis privatæ D. *Reynoldi* ad *Pyum* Anglicanæ Epistolæ, quæ ad manus meas pervenit, in qua ita loquitur. *Archiepiscopus*, inquit, *Cantuarien sis, quem de editione tractatus tui appellare statuis, cum eum per literas (quibus ad calcem illud Orosij ad S. Augustinum adieci, Tibi adindicata fi edas, per te indicata fi deleas) de meo tractatu edendo similiter appellarem, etsi exemplar apud se retinuit, & egit gratias, typis tamẽ suo iudicio non esse mandandum respondit, cum periculosum dogma contineret, & quod varia incommoda pareret: si qui coniugij sui pertæsi, per adulterium sese veteri coniugio eximere, & ad novum transvolare possent.* Hæc ille ad *Pyum*. Sed de hac re plura sub finem. parag. 7. huius commentationis, 5.

Cui loco adijci potest, contra istam quam vrgent pœnæ debitæ compensationem per indebiti concessionem: quod quemadmodum iuri suo primario renuntiat qui compensationem accipit; ita illi qui huiusmodi compensationem vrgent, quantum in ipsis est id agunt, vt ius primarium penitùs amittatur: ideoq; non *Hewsonus* (vt vrget *Pyus*, p. 56.) sed ipse *Pyus* cum suis auctoribus id agit, vt adulteria impunita sint, dum id quod plerunq; pœna omnino non est, in compensationem pœnæ debitæ admittunt. Vbi si illud verè dicerent, per concessionem novi ex divortio coniugij amoveri, quæ aliàs ex adulterio sequerentur incommoda

gra-

graviſſima, aut etiam omnia; (quanquam non omnia, ſed aliqua, nec graviſſima, ſed leviora hoc pacto amoventur) ſed ſi hoc verè dicerent, eò certè magis impedirent, ne iuſtiſſimæ in adulteras pœnæ reſtituerentur. Iuſtę enim ſcelerum pœnæ ex ſenſu incommodorum impunitatis, & inſtituuntur novæ, & reſtituuntur intermiſſæ.

Sed, vt cetera attexamus, alia obiectio eſt, *Cum mulier liberatur a lege viri, licet ei alteri nubere* (vt patet *Rom.7.3.* libera eſt a lege illa, vt non ſit mœcha, ſi fiat alterius viri) *At in neceſſario & irrevocabili divortio libera eſt a lege viri, ergo in huiuſmodi divortio licebit alteri nubere*. Reſpondeo ad minorē: A lege quidem viri quoad cohabitationem, & redditionem debiti coniugalis, vt loquuntur, per divortium liberatur, ſed aliæ etiam ſunt partes legis viri, ſeu legis coniugalis: imprimis vt ne cui alteri viv̄ete marito adhæreat: ad quod cum voto legitimo ſe obſtrinxerit, quā tandem diſpenſatione, niſi expreſſā auctoritate divinā fiet, vt non ſemper teneatur? Adhæc & ad curam mariti etſi ſeparati, & ad deſiderium mariti per primam illam legē viri ſemper tenetur; quibus omnibus ſecundæ nuptiæ videantur obſiſtere.

Alia adhuc obiectio, *Verba Chriſti Mar.10,11. & Luc.16.18. non ſunt interpretatio permiſſionis Moſaicæ, ſed legis naturæ, quidni ergo & Matt.5,32. & Matt.19.9?* Reſpondeo, primò de verbis apud Marcum ex v.10. apparet, Chriſtum ea habuiſſe non ad *Phariſæos*, vt *Matt.9.* nec in monte, vt *Matt.5.* ſed domi privatim ad diſcipulos. Eius autem quod alio atq; alio loco dictū eſt, nihil impedit, ſiquidem cetera patiuntur, aliam eſſe atq; aliam ſententiam. De verbis apud *Lucam* cum non conſtet, vtrum ad *Phariſæos*, an privatim ad diſcipulos dicta fuerint, poſſumus quidem putare privatim dicta ad diſcipulos, & ita ex *Mar.10.11.* interpretari: Sin autem ad *Phariſæos* dicta ſunt, credo eodem tempore dicta ſunt, quo illa apud *Matt.19.9.* ideoq; cum locus iſte pleniùs habeatur apud *Matt.* potiùs *Lucas* per *Matthæum* quam *Matthæus* per *Lucam* interpretādus erit. *Pauca enim*, vt rectè *Tertullianus* in Praxeam, *per plura indicari debent.*

Quod

Quod si alio fortè tempore ad *Pharisæos* ista locutus *Servator* (id quod minùs tamen probabile est, vt quatuor statuamus diversa tempora & loca, cum de hac re verba haberentur) sed si quartum hoc tempus statuimus, possumus dicere Christum, aut absolutè illud pronuntiasse, legemq; naturæ tradidisse, & ita tamen vt permissionem Mosaicam non statim apertè abrogaret, cum de legis dignitate versu superiore expressè cavisset: aut fortè, non quidem locutum absolutè, sed potiùs de dimissione ob causas inter Iudæos vsitatas intelligendum esse: quomodo proculdubio illa quæstio Pharisæorum *Mar.* 10. 2. intelligenda est: cum quærunt, An liceret dimittere vel est, an vsitatis de causis, vel, vt *Mat.* habet, quavis de causa liceret dimittere.

Quod à nonnullis vrgetur Mosem loqui de eiusmodi repudiatis, quas verisimile esset novos maritos reperturas esse, verum certè est: sed quod assumunt illud de repudiatis ob adulterium non esse verisimile, satis per quotidianam experientiam refutatur. Nec enim solũ illæ, quæ vnius testimonio (quod sæpè fallit) adulterij accusantur, sed illæ etiã quæ adulterij convictæ sunt, suos amatores reperiunt.

Commentatio sexta.

Argumenta pro minore Howsoniana, *cum eorundem confirmationibus asseruntur contra exceptiones* Pyanas.

Parag. 1. Deffenduntur sex confirmationes primi argumenti.

Primum pro minore primarij syllogismi *Howsoniani* argumentum in hanc sententiam habetur apud eum p. 20.

Moses divortium, & secundas ex divortio nuptias non permisit, nisi ob aliquam fœditatem.

At fœditas ista non nisi de adulterio, aut carnali aliquâ immũditie, quæ ad adulterium revocetur, intelligenda est. Ergo

Moses non permisit divortium, &c. nisi ob adulterium.

Minoris, de qua sola in hoc syllogismo ambigi potest, primam confirmationẽ p. 11. lin. 2. subiungit, quia necesse

hanc

hanc vocem fæditatis ad certũ aliquod genus cauſæ referri, ne lex ipſa erroris & ſcandali occaſionem præberet. Ad hæc *Pyn* p.6. de cauſa incertum relinqui ex eo contendit, quod dicitur fæditatem *aliquam*: quam vocem ex Hebræo aptiſſimè expreſſam putat. *Aliquam* enim cum dicit indefinitum relinqui putat. Hæc ſumma: nec ad hunc locum alibi quicquam a *Pyn*. At *primo* certè non omiſiſſet, quod hic præcipuè agendum erat, vt oſtenderet nulli vitio eſſe, vtcunq; de cauſa in incertò relinquamur: alioquin enim de induſtria videatur legem arguere, dum probat in lege illud eſſe, quod vitium eſſe, & ab adverſario dicitur, & ab ipſo non negatur. Sanè ſi cum quibuſdam tres primi verſus hypothetice legendi eſſent, ſatis eſſet rationis, cur lex de cauſa indefinite loqueretur: nunc autem cum lectio iſta admittenda non ſit, vt commentatione 3^a. parag 6. & 8. copioſè docuimus, neceſſe ſanè *Pyanam* interpretationem reijciamus, donec docuerit quomodo ſine legis contumelia admitti queat.

Secundò, dum in eo quod iſtud indefinitum pronomen adhibetur mirè ſibi ſatisfacit, meminiſſet, ſæpiſſimè certè perinde eſſe ac ſi prorſus omitteretur: vt in ſcholis idem eſt dicere *hominem*, & *aliquem hominem*. Et ſi vrget hoc loco nõ eſſe idem, ſciat in Hebræo indefinitum iſtud ſignum prorſus omitti: eſt enim *Nĕrvāth dāvār* vt quam proximè ad *Pyanam* ſententiam tranſferatur, *turpitudo rei*, non turpitudo rei alicuius. Adhæc & poſitũ proculdubio eſſ (vt docuimus commentatione. 3. parag. 3. *ſub* finem) pro *re turpitudinis*: In huiuſmodi autem locutionibus nomen *rei*, vt ibidem docuimus, ſæpiſſimè redundat. Vnde & Servator quod *Mat.* 5. 32. dixerat παρεκτὸς λόγου πορνείας, *Mat.* 19. 9. dicit εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ.

Tertiò, dum vocem *dāvār* aptiſſimè tranſferri *aliquam* confitetur, non modo ſeipſum accuſat, qui potius legit *turpitudinem quamvis* (vt commentatione, 3. parag. 3. ſub initium docuimus) ſed eo quoq; peccat, quod iſtud pro indubitato ponat, & tironibus in lingua Hebræa, notiſſimum eſſe

ſumat, cũ nulla ſit ferè alia vox quæ magis varias ſignificationes, & magis varios vſus habeat.

Quæritò, dum quærit, Num quid incertius magiſq; in dubio relinqui poſſit, quàm cum dicitur *aliquid*; intellexiſſet de cauſa omninò non relinqui, nec dubium, nec incertum, cum conſtet de ſpecie offensionum ob quas divortium fieret. De ſpecie autem harum offenſionum non minùs conſtat, cum quis dixerit *aliquam turpitudinem*, ſeu *impudicitiam aliquam*, quam de ſpecie animalis conſtat, cum quis dixerit *aliquem hominem*. *Sed* quomodo, inquit *Pyus*, p. 7. adulterium hoc loco vnica divortij cauſa ab *Howſono* ſtatuitur, cũ paulò ſuprà duplicem fecerat, adulterium, vel carnalem immunditiem? Eodem ſanè modo, quo omnia peccata contra ſeptimum decalogi præceptum communi adulterij nomine inſignimus: & tamen in ijs præter adulterium propriè dictum multa alia agnoſcimus. Sed iſtud certè nimis frigidum, ſaltem vt tam tenui de cauſa ita magnificè concluderet, *Vides ergo*, inquit, p. 8. lin. 1. *vt in primo actu, &c. vniverſum paradoxum tuum vno verbulo euerteris.*

Secunda confirmatio primi illius argumenti apud *Howſonum* habetur eâdem p. 11. lin 15. ex eo quod Moſes voce fœditatis, aut pollutionis, aut aliquâ ſaltem generali notione ad hanc rem ſignificandam libentiùs vtatur: vt qui proprium huius criminis vocabulum plerumq; ad ſpiritualem labem tranſferat: vnde nihil impediat quod non hoc loco res exprimatur proprio nomine, vtcunq; *Seruator* nomen proprium πορνείας, ſeu fornicationis vſurpet. Ad hoc *Pyus* primò, ſuo more, id eſt frigidè ſed amarè, *Quid audio* &c. inquit *adulterium tu corporalem tantùm labem*: quaſi verò Apoſtolus 1. *Cor.* 6. 18. cum diceret *fornicationem eſſe peccatum contra corpus proprium*, & ita hoc peccatum ab alijs diſtingueret, & 2. *Cor.* 7. 1. cũ ſuaderet vt *purgemur ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus*, non etiam inter peccatum iſtud & alia hoc diſcrimen agnoſceret, vt iſtud potiùs quam cetera labes corporalis dici poſſit.

Quid ergo, an etiam animam hoc peccato infici negat? diſcat

diſcat ergo, ſi neſcit, malignus iſte interpres, *corporales labes*, idq, in diſtinctione ab alijs peccatis, dici poſſe etiam quæ animam maculant, dum per corporis miniſterium ſingulari quodam modo præ alijs peragantur: diſcat & *ſpirituale* aliquando idem eſſe quod *myſticum*: vnde Idololatria dicatur ſpiritualis immundities reſpectu myſticæ vnionis coniugalis inter Deum & Eccleſiam, Recordetur & quod dicit ipſe p.15.lin.2.de ſcortatione ſpirituali: & videat vſum huius vocis apud *Bezam*, tractatu de ſententia *Cyrilli* de Communicatione, & vivificatione carnis Chriſti.

Sed aliud quoq; ſimili frigiditate carpit in *Howſono*, quod voci *fornicationis*, per quam vetus interpres, πορνείαν parùm (inquit) aptè interpretatus eſt, tenaciùs & lentiùs adhæreat. At qui *fornicationem* certè, & fortè etiam *fornicem* a Græco πορνείᾳ, aut eius coniugatis deduci arbitramur. Vt etſi nunc quidem ſtrictior vſus ſit, non peſſimè tamen Græca vox per Latinam ab ea deductam reddita ſit. Quanquam videtur quidem, tam Græcæ quam latinæ vocis proprietas impudicitiam notare, non tam quæ *extra matrimonium* ſit, quam quæ *quæſtui* expoſita ſit. Quæ cum coniugibus æquè atq; innuptis non tarò communis ſit, quidni & vox Latina de vtriſq; dicatur? præſertim cum Hebræum *Nāăph*, quod comunitèr de *adulterio* dicitur, (vt in *Exod.* 20.14. a *Iunio* notatur) pro quavis *ſcortationis* ſpecie aliquando vſurpetur.

Sed nonne ſaltem manifeſtus error, quod ab *Howſono* dicitur, verbum fornicationis, *vix aut ne vix quidem apud Moſem, ad corporalem labem denotandam vſurpari*? Reſpondeo, ſi peccatum hoc fuit, certè & à *Pyo* in hunc eundem locum ſimilitèr peccatum fuerat: ſic enim ſcripſerit, p.9.lin.10. *Vt ne vix quidem aliud verbum præ illo flagitio, &c.* Sed privatâ D. *Raynoldi* Epiſtolâ admonitus, hoc correxit, (vtinam & in alijs maioribus, de quibus com.5.toto parag.11.& ſub finẽ 12. egimus, eidem bene monenti paruiſſet) ſed qui locis libri ſui quam plurimis vrget generale vocabulum pollutionis pro adulterio à Mole ſumi, hoc loco ſcripſerat, *ne vix quidem aliud, quam proprium huius criminis vocabulum de eo a-*

pud Mosem vsurpari. Ita quam veniam sibi, nisi D. *Raynoldū* monitorem habuisset, petijsset, eandem *Howsono*, cui hoc fortè temerè excidit, tribuat necesse est: præsertim cum etiam expunctō isto, *Ne vix quidem*, vis confirmationis, (id quod ex præmissa explicatione apparet) & retento, veritas sententiæ, si quidem rectè intelligatur, constiterit. Vix enim aut ne vix quidem apud Mosem reperiatur proprium huius criminis vocabulum aliquod ita vsurpatum, vt hoc loco vsurparetur: id est, vt comprehenderet non modò adulterium propriè dictum, sed & ceteras quoq; impudicitias, quæ ad hoc peccatum revocantur: vnum locum excipio in septimo præcepto Decalogi. Qui enim dicit *vix aut ne vix quidem*, non dicit *non omnino*. Nec ibi Deus per Mosē, sed per seipsum loquitur.

Tertia confirmatio prædicti argumenti apud *Howsonū*, p. 13. lin. 4. in hanc sententiam. Vox Hebræa quæ hoc loco fœditas seu turpitudo redditur, proprie nuditatem sonat, & à verbo nudandi seu discooperiendi deducitur: & in scripturis passim in peiorem partem accipitur, cum aut de adulterio, aut de carnali aliqua impuritate ad res venereas pertinente sermo est. Hæc summa huius loci. Nec tam per se istud considerandum, quam cum alijs quæ suprà & infrà apud *Howsonum* adijciuntur; vt ita iustum quod proposui initio argumentum constituatur.

Momenta in ista confirmatione quatuor sunt. *Vnum*, quòd vox Hebræa proprie non significet concretum sed abstractum: non membrum nudum aut pudendū, sed ipsā nuditatem aut turpitudinem: (quod quam vim habeat ad præsens propositum vide commentatione, 5. parag. 2. ad obiectionem tertiam.) *Secundum*, quòd peculiari quadā proprietate ad genus rerum venerearum restringatur, de quare præcipue diximus commentatione, 5. parag. 3. in respōsione, 3. vbi locum *Deut.* 23. *v.* 14. perpendimus. *Tertium* momentum est, quòd ferè semper in deteriorem partem accipiatur, & cum de isto rerum genere scriptura odiosiùs loquitur. De honesto enim concubitu nusquam credo vsur-

surpatur. Id quod eo magis notandum, quia *Pyth* non minùs ferè acriter vrget vocabulum *pollutionis*, v. 4. de adulterio intelligendum, quam *Hoseæ* vocabulum *nuditatis*, v. 1. cum tamen vocabulum *pollutionis* vsurpetur, *Levit.* 15. 18. in sermone de *legitimo concubitu*. Hinc autem vox, pro eo quod scire possum, nūquam ad concubitum significandū, nec cum alijs vocibus, nec per seipsam adhibetur, nisi vbi de illegitimo concubitu agitur. Et cum ipse quidem concubitus non notatur, sed aliquid ad eam rem pertinens, nūquam adhibetur, nisi cum de ijs scriptura, vt dixi, odiosiùs loquitur. Vnde Levit. 15. vbi potius de naturalibus in hisce rebus, aut casualibus, vt ita dicam immunditijs, quam de voluntarijs, ita multis agitur, vbi vocabulum *pollutionis* vt dixi commentatione 3. parag. 5. plus trigesies vsurpatur, vbi etiam membri pudendi sæpè mentio fit, hęc tamen vox nusquam adhibetur. Hinc ahbi etiam, cum potius ad res affines & vicinas actui venereo, quam de ipso actu dicitur, cū vocabulis odiosissimis tum ipsa coniungitur, tum alia huius vocis coniugata, vt *Esaiæ* 47. v. 3. *Retegetur nuditas tua, & videbitur* Cherphathēk, *opprobrium tuum*. Nahum. 3. 5. *Retegā fimbrias tuas, replebunt in faciem tuam, vt ostēdam gentibus nuditatem tuam, & regnis Kelonēk, ignominiā tuam*. Et 1. *Sam.* 20. 30 Si Saul hac voce vtens *adulterium* non significat, quod tamen per quam probabile, ita tamen loquitur vt non facilè potuerit odiosiùs. *Fili*, inquit, *perversissima*, fili *rebellionis, nonne novi te eligere filium Isai ad confusionem tuam, ad confusionem nuditatis matris tuæ*. Nec tamen nego quin vox ista nuditatis seu nudationis (vt Septuaginta interpretes ἀποκάλυψιν vocant. 1. *Sam.* 20. 30.) generalius quid significet, quod tam honesto quam inhonesto in concubitu locum habeat: sed interest odiosiore, an honestiore vocabulo vtamur. Vnde cum verbum odiosius occurrit, non malè ad peiorē partem, ceteris præsertim adiuvantibus, restringitur.

Quartum in præmissa confirmatione momentū est, quod vox ista non tam speciem quandam impudicitiæ, quam totum genus denotet: id quod rationem innuit cur diceretur,

quia invenit aliquam turpitudinem, si quidem ita legendū est, de qua re tota vide commentationem 5^a^. parag. 3. sub finē responsionis tertiæ. Ad plura enim genera impudicitiæ vsurpari hanc vocem, & eius coniugata docet locus *Habak.* 2.15. Alia quæ ad istam confirmationem addenda sunt vide commentatione quinta locis prænotatis, præcipuè verò parag. 3. in responsione 4^a^. in qua etiam commentatione quinta parag^a^ 2. & 3ª omnes *Pyuas* contra hanc confirmationem exceptiones refutavimus.

Quarta confirmationis, quâ primum quod dixi argumentum ab *Howsono* p. 12. lin. 11. stabilitur, hæc sententia est. Extra omne dubium est istud *Nērvath dauar* rectè exponi posse per ἀσχημοσύνην: nam & *Apoc.* 16.15. phrasis Hebraica videdi nuditatem exprimitur per βλέπειν τὴν ἀσχημοσύνην: & 1. *Cor.* 12.23. membra quæ ab Hebræis nuditas dicuntur, ἀσχήμονα appellantur. Et Septuaginta Græci sæpissimè hoc verbum Hebræum exprimunt, aut per ἀσχημοσύνην, vt *Lev.* 18 *Deut.* 23.14. aut per eius coniugatum aliquod, vt hoc loco legunt ἄσχημον πρᾶγμα. At certè ἀσχημοσύνη. 1. *Rom.* 27. impudicitiam notat. Quemadmodū & 1. *Cor.* 12.23, & 1. *Cor.* 7,36. & *Apoc.* 16.15. aut ipsa, aut cōiugata huius vocis, de eo quod ad hanc significationem pertinet, vsurpantur. Nec cū Septuaginta Græci hoc loco dixere ἄσχημον πρᾶγμα, frustra hoc potiùs quām ἀσχημόν τι, dixisse videantur: cū ipsa membra genitalia sint ἀσχήμονα, res inhonesta, aut fœda, sed non tamen, si propriè loqui volumus, ἄσχημον πρᾶγμα. Hoc enim potiùs ad opera, & ea, quæ extra nos, & penes nos sunt spectare videatur. Ad hæc Pyus p. 16. ea præcipuè carpens quæ momenti minimi sunt, πρᾶγμα, inquit, non tam opus, quam rem significat: *sciunt*, inquit, *hoc qui vel tantillum* &c. Respondeo. Ita certè non rarò est, cum vis sententiæ sic postulat, vt potiùs res aliqua naturalis, quam *opus*, id est actio, hac voce denotetur: Sed & Hebræa vox quæ propriè *opus* significat *Ier.* 44.17. & alibi rem naturalem notat: Quid ergo cum sententia ferat, nonne suum potiùs significatū obtinebit? aut ignorat Pyus propriā vocabuli πράγματος

ματος vim eam esse quam exposui? Aut nescit aliquando πρᾶγμα per rem exprimi non debere? vt *Iac.* 3 16. *Ibi tumultuatio, & omne opus pravum*, vt legit *Beza*, cum in Græco sit, ἐκεῖ ἀκαταστασία, καὶ πᾶν φαῦλον πρᾶγμα.

Ad id quod sumit *Howsonus* aptissimè exprimi istud *Nervath* per ἀσχημοσύνην, vt in explicatione huius confirmationis diximus: & ad id quod ἀσχημοσύνην significare impudicitiam probat ex *Rom.* 1. 27. nihil fere omninò respondet. Atqui in his duobus vis huius confirmationis posita. Et est certè vtrumq; omni exceptione maius. Quid enim si, quod ait *Pyus*, vox ista ad *Rom.* 1. 27. non restringitur ad adulterium propriè dictum, an non ergo generali significatione impudicitiam notat, quæ ad septimum præceptum revocetur? Hoc enim ad *Howsoni* propositum (vt sub finē explicationis prioris confirmationis indicavi) magis est, quam si adulterium propriè dictū denotaret. Quid si Septuaginta Græci coniugatis huius vocis, aut ipsā etiam ad res ab impudicitia alienas vtuntur, (quāquam locus certè *Deut.* 23. 14. quem affert, hoc non probat, vt docuimus commentatione 5. parag. 3) nonne ergo ex ipsis illis Septuaginta satis constat istud *Nervath* aptissimè per ἀσχημοσύνην exprimi? Nonne & loci 1 *Cor.* 12. 23. & *Apoc.* 16. 15. idem, vt ostendimus, evidentissimè confirmant? Atqui certè huc in finē ab *Howsono* proferuntur hæc loca; & vt doceat etiam coniugata huius vocis, ad ea quæ ad impudicitiam aliquo modo pertineant intueri. Nam quod ait *Pyus* p. 18. huiusmodi voces etiam sensu prorsus ab hac re alieno vsurpari, lorum proferens vnicum ex Septuaginta Græcis (alterum enim quem notat p. 17. ex *Deut.* 23. 14. suprà iā reiecimus) & alium ex *Platone*: certè de vsu harum vocum in sacris, non in prophanis literis quærimus.

Nec illud sanè postulat vis confirmationis *Howsoniana* (vt in explicatione præmissa apparet) vt nullus sit alius harum vocum vsus: Nec *Howsoni* verba, quæ *Pyus* malè interpretatur, ijs quicquam tale imponunt. Verba Howsoni: *Proinde*, inquit p. 12. *Septuaginta loquuntur, ὅτι εὕρηκεν ἐν αὐτῇ ἀσχημοσύνην*

μον πρᾶγμα, opus fadum: quo verbo Apost. Paulus vtitur Rom. 1, 27. ad spurcitiem & impuritatem exprimendam. Similitèr etiam 1 Cor. 12. 23. τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν εὐσχημοσύνην περισσοτέραν ἔχει. Eadem insuper phrasis eodem planè sensu vsurpatur 1 Cor. 7. Apoc. 16. Hactenus Howsonus. Ad hæc Pyus p. 17. Quod scribit Paulũ hoc verbo vti 1. Cor. 12, 23. ad carnalem spurcitiem & impuritatem exprimendam, similiter atq; vsus est Rom. 27. & eandem insuper phrasim eodem planè sensu vsurpari 1 Cor. 7. 36. & Apoc. 16. 15. parum exquisitè, aut comperte ate scriptum videtur. Imò verò hoc parum candide aut fidelitèr a Pyo recitatum videtur. Primum enim non dicit Howsonus Paulum similitèr vti vocabulo ἀσχημοσύνης. 1. Cor. 12. 23. atq; 1. Rom. 27. sed vtrobiq; similitèr loqui: id est ad idem genus rerum referre illud τὰ ἀσχήμονα, ad quod genus illa apud eum 1. Rom. 27. ἀσχημοσύνη refertur. Est enim similitudo remotior de qua Howsonus, nec solum propior illa de qua Pyus eum interpretatur. Ideoq; potest loco ad Corinthios similitèr vsurpari coniugatum ἀσχημοσύνης, atq; ipsa vsurpatur primo ad Romanos, etsi loco illo ad Corinthios non notetur carnale aliquod flagitium, sed tantùm instrumentum libidini inserviens. Deinde etiam non dicit Howsonus hanc phrasim. 1. Cor. 7. & Apoc. 16. eodem planè sensu vsurpari, quo Rom. 1. 17. vsurpatur, sed eodem planè sensu quo. 1. Cor. 12.

Quod vrget p. 17. lin. 27. vocem εὐσχημοσύνης loco illo. 1 Cor. 12. 23. simul appositam non significare internam aliquam virtutem, sed externam in specie honestatem, vnde ex contrario colligit illa ibidem ἀσχήμονα ad Howsoni propositum nihil pertinere, nõ rectè colligit. Virtutes enim & honesta quæq; proprijs nominibus verecũdia sinit vsurpari: inhonesta & erubescenda, sivè cum vitio, sive sine vitio fuerint, parciùs & invitiùs notatur: vt non statim inhonestum quippiam nomine aliquo indicari ideo negandum sit, quia contrario nomine contrarium honestum non notatur.

Sed nonne saltem loco 1. Cor. 7. 36. (vbi dicitur εἰδέτις ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτοῦ νομίζει ἐὰν ᾖ ὑπέρακμος) rectè interpretemur illud ἀσχημονεῖν (cum Pyo p. 18. lin. 1) indecẽs esse

esse, & non prorsus convenire publicis moribus, & parentum statui & instituto, ita vt hic saltem locus otiosè ab *Howsono* notatus sit? Imo vero quis scit an in his verbis longe aliud lateat? Quale de sua *Antigone* queritur *Oedipus* apud *Sophoclem*, quod perpetuo cælibatu, quem (omnibus eam ob infamiam generis recusaturis) expectatura esset, terram macularet? Certè enim de tali ἀσχημοσύνῃ loquitur Paulus ob quam ὀφείλει γαμεῖσθαι: vt ex eodem versu colligitur, & quæ non videatur consistere cum ἐξουσίᾳ τοῦ ἰδίου θελήματος, vt colligitur ex versu proximo.

Quod pro quinta primi argumenti confirmatione ab *Howsono* additur, p.12.lin.antepenultima de Latinis Translatoribus, quorum vnus legit, *Aliquid inhonestum*, alius, vulgatus scilicet, (qui frequentiùs rem fœdam pro carnali impuritate vsurpet) legit *aliquam fœditatem*. *Tremellius* deniq; & *Iunius* (qui per nuditatem multoties alibi carnalem immunditiem intelligant) legunt *turpitudinem aliquam*, seu *rei nuditatem*: Non eo animo additur, aut vt hos omnes suæ fuisse sententiæ gloriaretur, (vt non rectè interpretatur *Pyus*, p.18.lin.16.& p.20.l.9.) aut quod argumentũ aliquod irrefragabile pro sua thesi in his quoq; testimonijs poneret: (vt *Pyus*, p.19.l.26.videtur sibi persuasisse) sed partim quidem vt quorundam, in quibus ipse *Pyus* est (vt docui commentatione, 5.parag.3.sub initiũ) sententiam refutaret, qui putant Mosem de quovis causæ genere locutum; (Non enim omnis causa odij res turpis, fœda aut inhonesta dici potest) partim etiam vt has eorum locutiones, vel ipsis invitis, in veritatis testimonium adduceret non invitas: vt sępè imprudentibus nobis, & *Pyo* ante alios veritas pro se argumentum extorquet, dum vt vetus est dictum, ἡ γλῶσσ' ἁμαρτάνουσα τἀληθῆ λέγει.

Sed instat *Pyus*, negat veterẽ interpretem pro impuritate carnali *fœditatẽ* frequẽtiùs dicere: Imo inquit vix semel ita loquitur. In exemplis allatis primum carpit, quod notetur locus, *Leu*.18.10.quod hac voce semel illo in capite, voce autem *turpitudinis* sæpissimè eandem vocem Hebræam

exprimat. Quasi verò *Howsoni* interfit hilum, vtram harum vocum hoc loco legamus, cum vtraq; æquè idem genus rerum erubescendarum respiciat. Nec si semel eo capite hoc sensu *fœditas* habetur, quicquam est quod reprehendat, cũ hoc tantùm ab *Howsono* dicatur. Quod enim alteri voci, quę pro *Howsono* evidentiùs fortè faciat, hanc vocem substituit, quid quæso inde incommodi? Addit, cum dicitur Absolom fœdasse patrem, 2. *Sam.* 16. 21. quomodo de carnali impuritate a nobis intelligatur se non videre: Nec in fœdo illo humore *Lev.* 15. 3. a se quidem tale quippiam intelligi. At vidisset homo acutus in fœdatione adulterium notari, non solùm cum dicitur fœdari mulier, cum quâ adulterium committitur: sed etiam cum dicitur fœdari vir eius, contra quem adulterio peccatur. Nec ignorasset, satis esse ad præsens, etsi de alijs rebus præter adulterium hac voce iste interpres vtatur, modò saltem eâdem de ijs immunditijs quæ aliquo modo ad istud rerum erubescendarum genus respiciant libentiùs vtatur; Non enim ex toto credo isto genere gonorrhœam illam *Lev.* 15. excludet: nec nihil causæ subfuisse putabit, cur qui toties eodem capite *immundum* dixit, eo tamẽ loco *fœdum* diceret, *Illud* quoq; meminisset, non posse dici *vir semel* hoc vel illo modo se habuisse, de quo constet evidentissimè saltem *semel* ita se habuisse. Et certè *Gen.* 34. 7. constat evidentissimè per rem fœdam stuprum denotari: Nec cum dixit *Howsonus frequentiùs* &c. id voluit, frequentiùs in ista quam in alijs omnibus significationibus fœditatem ab hoc interprete accipi: Sed si non frequentèr, saltem frequentiùs. Nam qui dicit *sæpiùs*, minus dicit quam qui dicit *sæpè*: *sæpiùs* scilicet *quam quis fortè opinaretur*: Et similitèr sæpè in alijs comparativis: è quo magis otiosa, ne quid dicam gravius, *Pyana* illa, *num tu his omnibus diem iudices, & adulterij rea citabis?* quasi verò hac voce non *frequentiùs*, sed sempèr: nec *impuritatem*, sed adulterium, semper hâc voce a vetere interprete intelligi dixisset.

Eodem otiosi in genere est, quod honesta & inhonesta ad alia quam ad pudicitiam & impudicitiam a Latinis transferri

ferri docet. Quis enim hoc negavit? aut quis nō ex præmissâ explicatione intelligit, hoc admisso proposítum tamen obtineri? Nec *Tremellium* hic et *Iunium* quasi totos suos, & quasi infeliciter ab *Howsono* laudati essent, confidentiùs ostendisset. Quid enim ijs nominandis *Howsonus* voluerit suprà dixi; nec de ijs, (si quid sentit) multum gloriabitur *Pyus*. Illi enim *turpitudinem*, hic *offensam*: illi *aliquam*, hic *vllam* legit. Adhęc circa locum *Malachiæ* 2. 16. qui ad præsentem controuersiā non parum pertinet, de quo loco diximus commentatione 5. parag. 8. a *Iunio* & *Tremellio* plurimùm dissentit *Pyus* noster p. 45. lin. 5. Et, quod permultùm sanè refert, illi quidem in nota marginali ad hunc locum *Deut.* 24. secundas nuptias de quibus agitur. v. 4. adulterium esse ex eo concludūt, quod extra causam scortationis factum istud divortium arbitrentur; vnde certum est eos putasse divortium in causa adulterij etiam sub lege licuisse. Quod si *Pyus* satis constanter tenuisset, (tenet enim vt docui commentatione 2. parag 1) certè vt alia taceam, obiectio eius postrema, de qua commentatione 5. parag. 9. 10. 11. 12. 13. agere coacti sumus, & circa quam ipse septem paginas ad *Howsonum*, & vndecim ad *Gentilem* consumit, prorsus nulla fuisset.

Sexta primi argumenti confirmatio ex auctoritate Hebræorum, apud *Howsonum* habetur p. 14. 15. apud *Pyum* verò oppugnatur p. 20. 21. 22. 23. 24. De summâ huius confirmationis notandum, *primò*, *Burgensem* Episcopum ab *Howsono* laudari, partim quidem quia ipsius iudicium minimè contēnendū est (hac præsertim de re vbi de vi vocis *Hebræa* quæritur: cum ipse conversus ad Christianos ex Iudæo fuerit, & a scriptoribus doctissimis sæpè honoris causâ appelletur) sed partim tamen maximam, quia testis idoneus est receptæ inter doctiores Hebræos sententiæ. Vnde eum *Howsonus in omni doctrina Rabbinorum exculti ssimum dicit*. Deinde etiam notandum, ne alij quoq; præter *Pyum* fallantur, quod de *Abulensi* affertur nō ita vrgeri, quasi hic quoq; putaret Mosem de sola causa adulterij locutum: contrà enim sentit *Abulensis*. Sed hoc solum ex eo vrgetur, quod ex huius viri cō-

tra nos ſentientis confeſſione conſtet, Hebræorum quoq; auctoritate noſtram opinionem niti. Idem quoq. fatetur alter operoſiſſimus commentator *Salmeron*. Vterq; a nobis quidem diſſentit: ſed illud tamen ingenuè profitentur, non *Burgenſem* illum (vt vult *Pyus* p. 20.) ſed magnum illum *Rabbi Aben Eſram*, huius noſtræ ſententiæ potiùs auctorem dicendum: qui & cognomento *Hĕchâcam*, ſapiens dictus: & a *Iuuio* in *Exod.* 20. ſummæ inter Hebræos auctoritatis dicitur. Equidem niſi alienâ fide *Rabbinum* hunc hac fuiſſe ſentiâ nondum affirmare poſſum: ſed cum duo illi homines laborioſiſſimi, idq; contra ſuam ſententiam hoc fateantur, pro vero credi derim ſine temeritate ſumi poterit. Locus apud *Abulenſem* vbi hoc fatetur comment: in *Deut.* 24. q. 1. in ipſo initio: Apud *Salmeronem* tomo quinto qui eſt de ſermone in monte, tractatu 39. non longè ab initio.

Addit etiam *Abulenſis*, non vnius ſed complurium Hebræorum hanc fuiſſe ſententiam. Vnde etiam videtur & *Ben Sira* ille de quo *Druſius* ad *Gentilem*, ſuaſiſſe amico vt vxorem malam retineret. Sed quod apud *Howſeum* legitur, *hanc quoq; eſſe opinionem Hebraorum omnium Abulenſis fatetur*: certè nec *Howſeus*, nec *Abulenſis* ita inſanierunt, vt Hebræorum omnium, vel doctiorum omnium ex Hebræis, hanc fuiſſe ſententiam dicerent, aut putarent: per culpam proculdubio neſcio cuius illud *omnium* irrepſit: nec omninò pro *Howſoniano* agnoſcendum eſt. *Howſeus* enim contrarium liberè profitetur, p. 24. lin. 15. & 25. lin. 21. & 44. lin. 19.

His ita poſitis ad *Pyanas* exceptiones, nimis ſanè infantiles, facilis reſponſio erit. Vrget Phariſæorum, & communem tempore Chriſti opinionem contrà fuiſſe: & nos quidem fatemur. Nec enim omnium, ſed præcipuorum quorundam ex Hebræis ſententiam pro nobis ſtare dicimus. Nec tamen ceteris multò magis, quam ipſe, derogamus. Simul enim nobiſcum fatetur erratum eo tempore à Phariſæis, & à ceteris qui putarunt licuiſſe extra cauſam ſcortationis vxorem dimittere. *Pyanum* hoc totum eſſe, non ſo-

lum

ſum noſtrum, ſatis docuimus commentatione 2. parag. 1. *Burgenſem deliruntem* vocat, p. 24. lin. 29. & p. 20, lin. vltimâ, & eius *Correctorium* vocat *corruptorium* Liræ: & hunc noſtræ ſententiæ auctorem ait ſe agnoſcere: At certe *Druſium*, Hebraicæ literaturæ principem, non puduit dicere, ſatis eũ eſſe ſibi auctorem: & iterum in privatis literis ad *Gentilem* noſtrum: de Burgenſi, inquit, ſentio et ſenſi honorificè, non tamen in ipſius verba vnquam iuravi. Eundem *Sixtus Senenſis* vocat Rabbinum præſtantiſſimum. Sed nos, vt dixi, in hoc teſte non conſiſtimus: alios, & in ijs *Aben Eſram* S. *pientem* illum, auctores laudamus.

At *Doringi*, inquit Replica *Burgenſem* ſatis refutavit. Legat ergo vtrumq; ! & Epiſcopi huius, & Archicancellarij regij gravitatem, cum iſtius Minoritani, quaſi pro ludimagiſtro ſatagentis diſcipuli, ineptijs, ſi quâ poteſt fronte, cõparet. Sed quid habet iſte *Replicator*, poſtquam iam ad eum remittimur? Nihil certè de hac quæſtione, niſi quod vnicũ tangit levitèr, eum qui dicit *fœditatem aliquam*, non vnum ſolum genus fœditatis, ideoq; non ſolum adulterium dicere. At iſtud plenius & melius apud ipſum *Pyum* ſuprà vidimus. Quorſum igitur ſi hunc *Replicatorem* ipſe inſpexit, ad eum nos, poſtquam ſua legeramus, relegavit? At fontem ſcilicet & caput erroris Burgenſiani aperit, quod *eodem ſignificatu* vocem *Nervab* in hac lege, & *Levit.* 18. contra certiſſimam veri evidentiam vſurpari putavit. Imo verò Burgenſis (vt verba ejus ab ipſo *Pyo* recitantur) non dicit *ſub eodem ſignificatu*, ſed ſub *eadem forma*; nec ſatis cautum hoc loco à *Pyo* noſtro, cum hominem Hebræum, quaſi in Hebræâ dictione turpiter impingentem ſeveritèr caſtigans, ipſe ſuam in primis elementis Hebraicis imperitiam prodit. Quis enim in his rebus tiro *formam vocis* cum *ſignificatu* confunderet? diſcat ergo *Pyus* noſter, ſi neſcit, formam vocis in vocalibus & alijs quibuſdam accidentibus, a grãmaticis poni: vnde & diverſas, imò diverſiſſimas voces eiuſdem formæ, & diverſas nonnunquam formas eiuſdem vocis agnoſcunt. Sed cum eandem dictionem eſſe, & ſub eadem forma hoc

loco & *Levit.* 18. vrget *Burgensis*, nonne simul & eundem significatum vtrobiq; esse sumit? aut cum interpretatione suam ex *Levit.* 18. confirmat, nonne id primum ponat necesse est, eundem esse vtrobiq; huius vocis significatum? Imò verò satis solidum, vt suprà docuimus, ex eo loco pro hac interpretatione argumentum erit, etsi idem non sit vtrobiq; significatus: modò saltem analogus sit, & ad idem rerum genus respiciens.

De *Origenis* exemplo apud *Howsonum* p. 15. quominus vt ille Hebræo de re Hebraica cesserat, similitèr & ipse Hebræis cederet: *licuit*, inquit, *illi in re dubia, nec magni momenti, mihi in re manifesta, & magni momenti contra scripturas non licet.* At certè quòd res maioris momēti, eò quemq; magis sibi, suoq; iudicio convenit diffidere. Quod enim *rem manifestā* dicit, & *contra scripturas* negatio est. Interim in secundâ apud *Howsonum* mentione *Origenis* (nam in priore sine epitheto nominatur) carpit quod *Sanctus* appelletur, & ita *homo hereticus in divorum album referatur*. Taceo quod hoc nihil sit ad propositum: quod malignum sit, si quid humanitùs per oblivionem leviculum excidit, statim insectari, & nullum in finem, nisi ad invidiam exaggerare. Taceo quod non rectè tamen collectum sit: Omnes enim Christiani in scripturis Sancti dicuntur, nec tamen omnes in Divorum album relati. Id dicat *Pyus*, vtrum sit melius dicere *sanctum Origenem*, an, quod horreo scribere: quod vtrum ab ipso dictum sit, videndum suprà commentatione 5. sub finem parag. 5.

Sed & illud illudit p. 24. lin. vlt. quasi *Howsonus* sibi ipsi imprudentèr detrahens, *Burgensem* suū *pedariū Senatorem* dixerat. Vbi oculi eum fefellerunt sui, dum pro eo quod est apud *Howsonū*, *in huius sententiam tanquā pedarij Senatores.* & p. 15. lin. 19. legit tanquam *pedarij Senatoris*. Scripserat quidē ipse *Pyus* p. 24. lin. 25. nō de mortali aliquo homine, sed de Christo *in huius sententiam tanquam pedarij senatoris vel pedibus ire oportet*, (vt ex privatis ad eum *D. Raynoldi* literis hoc apparet) atq; ita quod *Howsono* nunc falsò obijcit, id ipsum,

vel

vel multò potiùs grauius in eodem genere ipſe peccaverat: ſed admonitus correxit, & confeſtim, iuxta illud, Qui docet indoctos licet indoctiſſimus eſſet &c. docet nos quod recens didicerat, *pedarium*, inquit, *appellas, id eſt infimo loco cui pedibus in curiâ, &c.* Ad has enim & huiuſmodi nugas ei vacavit potiùs, quam vt ad graviſſima, quibus ſeipſum hoc loco intricavit incommoda, attenderet.

Quid enim, nonne totum illud, *nullo modo licuiſſe Iudæo, ſecundum hanc legem, repudiare vxorem, niſi propter eiuſmodi turpitudinem quæ fornicationem includeret*, pro *Burgenſiana* ſententia, & ab *Howſono* recitatur p. 15. lin. 2. & a *Pyo* agnoſcitur, & irridetur, & reijcitur, p. 20. 21. &c? Ita prorſus: nec hoc negare quiſquâ ſanus poteſt. Sed nonne etiâ *Burgenſis* & *Howſonus* cum hoc dicunt, de eo loquuntur quod per legem divinam, ſeu Moſaicam liceret? Nec hoc quidem quiſquam niſi abſurdiſſimè negaverit. Dicunt enim expreſſè *per hanc legem*, & de verbis legis quomodo intelligenda ſint, ſeriò diſputant. Quâ ergo fronte hoc eorum dogma irridere & reijcere hac pagina 21. potuit, quod totidem ſanè verbis eâdem iſtâ paginâ lin. 25. & ſequentibus, libentèr amplexari profitetur? *Nullo*, inquit, *modo licere Iudæo ſecundum hanc legẽ repudiare vxores, niſi propter eiuſmodi turpitudinem quæ fornicationem includit, libentèr admittimus & amplexamur, ſi de eo quod per naturam fas eſt, aut per legem divinam licet, intelligatur. Verumenimverò ſi de eo loquamur quod apud Iudæos erat facultatũ &c.* Et ne quis fortè putet per legem divinam non ab eo intelligi hunc ipſum locum *Deut.* de quo quærimus, ecce ex hoc ipſo loco verbis proximis probat nullo modo hoc licuiſſe, niſi hac ſolâ de cauſâ. Quid plura? Ne fortè tantũ *Burgenſianam* interpretationem vocis *Nervah*, non autem eius ſententiam de ſolâ cauſâ adulterij apud Moſem licitâ reiecciſſe videatur: inſpiciatur locus apud *Howſonum* ad quẽ hac paginâ reſpondetur: quem quæſo errorem *Burgenſianũ* hoc loco reijcit *Pyus*, niſi eam eius opinionem, quæ apud *Howſonum* p. 15. exponitur? At ibi ne vnum quidem verbum de interpretatione huius vocis, tantùm illam quam dixi

Burgẽ-

Burgensianam sententiam proponit. Sed de hac re plura cõmentatione 2. parag. 1.

Videamus nunc distinctionem quam verba *Pyana* modò recitata præ se ferunt, quam bellè & dialectícè se habeat. Quid enim malùm (vt ipsius interiectione vtar) sibi vult distinctio ista? Quasi quod lege licitum est, aliud sit lege licitum, aliud non lege, sed consuetudine tantũ. Sic enim profecto distinguit, cum ait per legem omninò non licuisse divortium nisi ob adulteriũ, siquidem de eo loquamur, quod per legem licuit, non autem de eo quod in consuetudine fuit. Sed distinctionẽ subtilitate superat distinctionis quædam admirabilis applicatio ad propositum, dum ne fortè omnia hac concessione evertisse videatur, negat inter ipsũ & *Howsonum* controveri, quid lege istâ Mosaica licuerit, sed quid Iudæis in vsu fuerit. Vnde etiam ad *Gentilem*, cum ille ex *Drusio* illud recitaverat, *Hebræos sapientiores divortiũ nunquam probasse, præsertim ob leves causas*: sed quid, inquit, plebs? quid Hebræorũ vulgus? an ipsis idem esse visum scribit? Sed de hoc intolerabili delirio diximus commentatione 2. parag. 2. Quod hoc loco alienissimo de *Servatoris* sẽtentia *Matt.* 19. disputat, id quod etiam sine causa, postquam semel dictum fuerat loco aptiore p. 30. resumit, commentatione 5. parag. 8. sub initiũ a nobis satis refutatum est. *De tentationibus, crocodilis, dilemmatis* quæ hoc loco curiosulè philosophatur (cum ad explicationem loci *Matt.* 19. ista pertineant, & in hunc locũ a *Pyo* alienissimè inculcentur) vbi ad tertium argumentum *Howsonianum* pervenerimus, leviter (nec enim pluris sunt) tangentur.

Parag. 3. Secũdi pro minore Howsoniana argumenti cõfirmationes duæ defendũtur.

Secundum argumentum *Howsonianum* apud eum habetur, p. 16. & sequentibus in hanc sententiam.

Locus Mat. 5. 31. *tantùm interpretatur sententiam Mosaicam, Deut.* 24. 1. *nec eam corrigit omnino, nec ad eam quicquam addit de novo.*

At ibi permissio divortij tantùm ob adulterium: Ergo

Et apud Mosem tantùm ob adulterium.

Secundi huius argumenti, de cuius sola maiore ambigi po-

test

test, prima cõfirmatio hanc habet sententiam. *Circa cetera quinq; legis dubia quæ eodem capite apud Mat. explicantur, Servator non agit legislatorem, sed interpretem: & tam in isto dubio, quam in ceteris, clausulâ illâ*, Ego autẽ dico vobis, *vtitur, quasi eodem modo de singulis intelligendus*: Ergo *circa hoc quoq; dubium non est novum quod Servator statuit, aut correctio, sed interpretatio Mosis*. Ad hanc confirmationem, vt constet quid opponat *Pyus*, totum locum apud eum, p.25.26.27.28.29 analyticè & summatim proponemus. *Primò*, solum argumentum *Howsonianum* (de ista & altera huius argumenti confirmatione, quam mox adijciemus, tacens) repetit, & eã ait esse summã loci apud *Howsonũ* prolixi: *Secũdò*, admissâ, inquit, facili illâ Servatoris distinctione inter *præceptum* & *permissum*, non modò tota ista confirmatio evanescit, sed & digressio (vt vocat) illa apud *Howsonum* à, p.39. ad p.44. otiosa apparet. *Tertiò*, distinctionis huius à *Servatore* indicandę occasionem, ex secunda quæstione Pharisæorum exponit: Cum quærentibus cur *Moses* pręciperet dare libellum, & sic dimittere, *Servator* de libelli præcepto tacens, ipsam dimissionem diceret non esse præceptum, sed permissionem. *Quartò*, inter præceptum & permissionem duplex discrimen statuit: *alterum*, quod quicquid pręcipitur licitum sit & necessarium: quod autem permittitur, necessarium non sit, & nonnunquam etiam aliquo præcepto seu lege prohibitũ sit: *alterum* discrimen (quod apud *Pyum* per ὕστερον πρότερον contra naturam prius est) illud est, quòd cum aliquid quod permittitur, etiam lege seu pręcepto prohibetur, plus valere debet præceptum permissione, ita vt præcepti violatorem permissio nõ excuset. *Quinto*, ad præsens propositum propiùs accedens: id, inquit, quod dicitur *Gen.* 2.24. & *Mat.* 19. 4. *Propterea relinquet homo patrem*, præceptum est seu lex matrimonij: quam legem in præcepto Non adulteraberis repetitam dicit. *Sextò*, permissionem *Deut.* 24.1. nõ modò vt a Pharisæorum glossematis corrupta fuerat, sed simplicitèr vt a Mose tradita fuerat, contra hanc legem fuisse ait. Ideoq; cum omne præceptum contrarias permissiones absorbeat,

sorbeat, vt suprà suppositum est, meritò hanc permissionē a Christo *Matt.* 5. 31, pronuntiari irritam: Ita vt neminem omninò, qui secundum eam faceret, vnquam a peccato excusaret. *Sexto loco* (adiuvabo enim *Pyum*, idq; qui paginas *Pyanas* cum hac analysi contulerit, facilè agnoscet a me satis ingenuè & candidè fieri) etsi inquit, ista pronuntiatio permissionis irritæ, etiam correctio, seu abolitio permissionis Mosaicæ dici posset, nihil tamen hoc loco Mosaicum corrigit *Christus*, nisi ex ipso *Mose*. Cū enim *Deut.* 24. v. 4. novū repudiatæ coniugium dicitur adulterium, & causa huius adulterij in priorem maritum reijcitur, etiam factum prioris mariti, cum vxorem repudiaret, cōdemnatur: ideoq; divortium Mosaicum ab ipso Mose loco illo *Deut.* 24. prohibetur. *Septimo loco*, brevitèr digrediens ex eadem phrasi Mosaica disputat divortium Mosaicum fuisse extra causā adulterij, de qua re plura diximus commentatione 5. parag. 5 sub finem. *Octavo*, ad rē presentē rediens fatetur Christum *Mat.* 5. non egisse legis-latorem, sed interpretem: sed nihilominus tamen fieri potuisse, vt istud Mosaicum, quod non sit lex, sed permissio, abrogaverit. *Nono*, ad secundam huius secundi argumenti *Howsoniani* confirmationem transiliens, de qua statim dicemus, negat Pharisæos circa illud *oculum pro oculo* errasse in literâ legis. *Decimo*, ad priorem istam confirmationem rediens, ex eo quod in hac confirmatione sumitur, vnam esse eandemq; rationem omnium sex explicationum, contra id quod in huius confirmationis conclusione habetur, elencticè disputat, vt commētatione, 5. parag. 8. paulò ante finem exposuimus.

Ex hac analysi apparet obiectionem triplicem haberi hoc loco, contra priorem illam secundi argumenti *Howsoniani* confirmationem. Prima est, *Moses & in lege naturæ* Gē. 2. 24. *quæ in septimo decalogi præcepto repetitur, significauit illicitum esse vti suâ divortij permissione (in legis enim latione permissio contraria notatur illicita esse) & in ipso illo loco vbi divortium permittit, v. 4. docet illicitum esse, dum dicit priorem maritum per huiusmodi vxoris repudiationem facere vt ea machetur*, Ergo potuit

Christus

Christus docere illicitum esse vti Mosaicâ divortij permissione, & tamen nec corrigere Mosem, nec addere ad eam quicquam, sed tantùm eum interpretari. In ista obiectione tria falsa sunt: *Primum*, vigente lege Mosaicâ non licuisse agere ex præscripto *permissionis* huius Mosaicæ (de qua re vide totam commentationem nostrã tertiam.) *Secundum*, *Deut.* 24. v, 4. dici maritum priorem per vxoris ex prescripto huius permissionis repudiationem, facere vt ea mæchetur (de qua re diximus commentatione 3. parag. 4. &, 5. per tot:) *Tertium*, quod in legibus humanis tenet, vt præceptum contrariam permissionem aboleat, idem etiam in divinis legibus tenere: de qua re diximus commentatione 2. parag. 3. & commentatione 5. sub finem parag. 5.

Secunda obiectio. Potest permissionem corrigerè qui legislatorem non agat, sed tantùm interpretem: Ergo non ex eo sequitur *Christum* nihil Mosaicum *Mat.* 5. 32. corrigere, quod ibi non legislatorem agat, sed interpretem. Respondeo. Sublatio permissionis in legibus divinis est latio legis: cum, vt commentatione, 2. parag. 3. notavimus, vigente permissione, lex eâ ex parte non valuerit. Vnde post sublatam permissionem de novo incipit: ideoq́ planè necesse, eum qui in legibus divinis permissionem aliquã corrigat, eâdem operâ & legem de novo ferat. *Tertiam* obiectionem quæ non tam ἐνστατικὴ, vt dixi, est quam ἐληγκτικὴ, vide explicatam & reiectam commentatione, 5. parag. 8. paulò ante finem. *Quarta*, quæ huc pertineat obiectio de apparente apud *Howsonum* hoc loco, & p. 9. contradictione (de qua *Pyus* p. 5. lin. 2.) commentatione, 4. parag. 2. circa medium sublata est.

Secunda secundi huius argumenti confirmatio apud *Howsonum* p. 19. lin. 22. & sequentibus. *Servator Mat.* 5. 31. *eum maluit dicere Dictum est, quam Dictum est antiquis, significat istud de quâvis causâ nõ esse in litera legis*: Ergo *quod istud de quâvis causâ reijcit, non est correctio legis, aut additio ad legẽ, sed tantùm interpretatio legis.* Ad antecedentis probationem duæ propositiones ab *Howsono* statuuntur. *Prima*, cũ à Ser-

ſatore dicitur *Dictùm eſt antiquis*, ſignificat id doceri à Scribis quod erat expreſſum in litera Moſis, etſi fortè non totum quod in ea intelligendum erat. Apparet huius propoſitionis veritas, primùm ex ipſa vi verborum, quæ idem penè ſonant, quod illud, *Sic fuit ab antiq.* Quod, in genere loquendi quo Chriſtus vſus eſt, permagnam fuiſſe rei de qua ageretur commendationẽ, docet locus *Mat.* 19. 8. Deinde etiam apparet ex conſideratione legum trium negativarum, *v.* 21. 27. 33. Non occides: Non mœchaberis: Non peierabis, quarum omnium explicationi hæc verba *Dictũ eſt antiquis* à Servatore præfixa ſunt: at in his omnibus id docuerunt Scribæ quod erat expreſſum in litera Moſis, etſi non totum quod in ea intelligendum erat. *Secunda* propoſitio, cum dicit ſimpliciter *dictum eſt*, non autem *Dictum eſt antiquis*, ſignificat illud à Scribis doceri, quod nõ erat in litera Moſis, quodq; textui Moſaico non tam falſâ interpretatione ejus quod in literâ erat, quam temerariâ additione eius, quod in litera non erat, iniuriam faceret. Probatur hæc propoſitio, *Primò* quia cũ dicit, non vt alibi ſæpius, *Dictum eſt antiquis*, ſed tantùm *Dictum eſt*, ſignificat non fuiſſe dictum antiquis. Ita ſi illud *Dictum eſt antiquis* ita interpretandũ eſt, vt in priore propoſitione interpretati ſumus, certe iſtud *dictũ eſt*, ita interpretandũ erit, vt in hac poſteriore propoſitione notavimus. *Secundò*, idẽ probatur, quia *v.* 38. vbi lex talionis, & *v.* 43. vbi lex charitatis exponitur, quibus vtriſq; locis non dicitur *Dictum eſt antiquis*, ſed tantùm Dictum eſt, quadrat iſtud quod dicimus; Vtrobiq; enim illud Scribæ docebant, quod non erat in litera Moſis, vt non ſolum ſenſui, ſed ipſi etiam literæ expreſſæ iniuriam facerent.

Prior harum duarum propoſitionum eum ſolum in finẽ propoſita eſt ab *Howſono*, vt poſteriori confirmandę inſerviat: cui rei quomodo inſerviat ex prædictis apparet. Poſterior propoſitio ſi admittatur, antecedens propoſiti Enthymematis evidenter conſtituitur. Nec obſcurum quomodo exiſta quam poſuimus loci *Howſoniani* explicatione, ad vni-

cam

tam exceptionem *Pyanam* (aliud enim contra hanc secundam confirmationem nihil affert) respondeatur. *Apud Mosē* (inquit p. 28.) *ter habentur illa verba, Oculus pro oculo, Dens pro dente*: Ergo *qui hoc dicebant, non fuerunt à litera legis alieni. Ideoq; cum in huius legis explicatione, Servator non dicat Dictum est antiquis, sed tantùm dictum est, etiam cum ista præfatiuncula præfigitur, non significatur eos fuisse à litera legis alienos.* Respondeo, siquidem simplicitèr loquamur, qui dicunt id quod in litera est, non sunt à litera alieni; Sed *Howsonus* ideo dixit eos à litera alienos, quia id docebant quod non erat in litera. *Duos* enim statuit gradus aberrationis à sensu Mosaico: *alterum minorem*, cum peccarent defectu, id quidem docentes quod erat expressum in litera, sed non id totum quod erat intelligendum in litera: & hunc quidē gradum vocat errorem non iuxta literam, sed iuxta sensum tātùm: *alterum maiorem*, cum excessu quodam peccarent, & illud docerent quod in litera non erat: & hunc gradum vocat errorem iuxta sensum & literam.

Vtrum hos gradus rectè appellaverit, otiosorum est & λογομάχων litigare. De re ipsa, vt ex prædictis apparet, ad propositum satis est, si cum posterior gradus innuitur, *Servator* non dicit *Dictum est antiquis*, sed tantùm *Dictum est*. Nec enim voluit *Howsonus* hac præfatiunculâ innui, illud *oculus pro oculo* non fuisse in litera legis; Sed illud quod manifestè volebant illi qui hoc dicebant, in eâ non fuisse: alioquin & illud quoq; v 31. etiam in litera legis habetur: Iubet enim lex vt *quicunq; vxorem dimittit, det ei libellū repudij*: Sed qui hoc præferebant, aliud quoq; manifestè volebant, *vt quacunq; de causa dimitterent*. Sic qui illud iactabant *oculus pro oculo*, evidentèr significabant (quod certè perinde est ac si expressissimè dixissent) licere privatis hominibus pœnam talionis ab inimicis exigere. Omninò in eo falsus & deceptus *Pyus*, quod non attenderet idem esse *euidentèr significare*, & *expressissimè dicere*. Hoc enim dato, certè qui dixere *oculum pro oculo*, id dixere quod non erat in litera. Nec levis tamen ille error, quod præfatiunculæ istius (cum sine additione

tione dicitur *Dictum est*, non autem *Dictum est antiquis*) interpretationem satis refutatum iri putaret, si ostenderet eam præfigi eiusmodi dicto, quod in literâ Mosis habeatur: cum, vt ex præmissa rationis *Howsoniana* explicatione constat, vlteriùs etiam ostendendum esset, non semper cum ea præfigitur, innui *Scribas* id saltem docere quod in literâ Mosaica minimè inveniatur.

Parag. 3. Confirmationes tertij argumẽti defendũtur.

Tertium pro minore *Howsoniana* argumentum habetur p. 23. & sequentibus.

Servator Matt. 19. 9. interpretatur permissionem Mosis.
At ibi de sola causa adulterij agitur. Ergo
In permissione Mosaica agitur de solâ causâ adulterij.

De maiore solâ dubitari potest, cuius apud *Howsonum* sex habentur confirmationes. *Prima.* Tum quæstioni ipsi quæ mota erat v. 7. de sententia Mosis, conveniebat vt de eius sententiâ responderetur: tum ceteris quoq; huius loci circumstantijs: vt quemadmodum in præcedentibus *Servator* vitarat vnum cornu captionis, ita in sequentibus alterum vitaret. Vtq; cum duplex error de Mosaica sententia in quæstione Pharisæorum implicaretur, quemadmodum alterum v. 8. ita alterum quoq; v. 9. a perte indicaret. In hac confirmatione, vt plenius explicetur, momenta tria sunt, *Primum* cum quærebant. v. 7. cur ergo Moses præcepit dare libellum repudij, & dimittere eã, scilicet vel quavis de causa? (sic enim vnanimiter interpretantur hanc quæstionem *Pyus* & *Howsonus*) implicatur & illa quæstio, Nonne secundum istam legem Mosaicam licet dimittere vxorem quacunq; de causa? Et hæc est certè fallacia illa secundum plures interrogationes, de qua apud *Howsonum* p. 27. In posteriore enim quæstione, quæ priore loco proponitur apud *Howsonum* his verbis, *An liceat vxorem dimittere quacunq; de causa*, supplendum, vt expositi, an liceat secundum Mosem: vt a quæstione versus tertij eo differat, quòd v. 3. quæratur simpliciter vtrum liceat: hoc autem versu vtrum secundũ Mosem liceat quavis de causa. Hoc cum non animadverteret *Pyus* p. 26, lin. 1, illud de duplici interrogatione cum contemp-

temptu reijcit. Sed nos ex hoc ipso non parum pro nobis effici arbitramur.

Nam cum hæc quęstio de eo quod secundum Mosem liceat, hoc loco mota sit, æquũ certè vt huic quęstioni hoc loco respõdeatur. Respõdetur autẽ nullibi nisi v. 9. Ergo v. 9. ad hanc quæstionẽ respondetur. Ideoq; illo versu loquitur *Servator* de eo quod secundum permissionem Mosaicam liceat. Versu enim 8. tria tantùm illa dicuntur, *Mosem* tantũ permisisse dimissionem: & ob duritiem cordium permisisse: & contra legem naturæ permisisse. Ita in istò versu planè nihil est quod quæstioni, vtrum secundum Mosem liceat quavis de causa dimittere, directè satisfaciat. Ad versum ergo 9. vt de hac re doceamur, necessariò redeundum:

Ac primum quidem in prima illa confirmatione momẽtum istud est: ad quod (cum p. 25. l. 20. & p. 27. l. 1. apud *Howsonum* satis significetur) nihil seriò respondet *Pyus*, nisi quod illud, vnde cetera consequuntur, concedat, nempè v. 7°. quęri, cur *Moses præcepit dare libellum, & ita vel quâvis causâ dimittere*. *Secundum* momentum: cum duo fuerint quasi cornua captiosę quæstionis Pharisaicæ, vt aut contra legem naturæ, aut contra legem Mosaicam responderet: æquum, vt quemadmodum v. 4. 5. 6. ostendit se non reprehendere legem naturæ, ita (saltem postquam altero quasi cornu eũ Pharisæi v. 7°. presserant) etiam hac ex parte satisfaceret, & nec legem Mosaicam a se reprehendi ostenderet. Atqui istud certè non ostendit, imò potiùs contrarium ostendit, nisi versus quoq; 9. pars sit explicationis sentẽtiæ Mosaicę. Ad ista, quæ a *Pyo* excipiuntur videamus.

Primum negat cornutum vllum argumentum in Pharisæorum quæstione v. 3. contineri: cum tamen ipse eodem loco p. 22. disertè duo ponat cornua: *vt aut revocaret ea quæ in monte docuerat, quod turpe erat*: aut *eadem iterum assereret, quod invidiosum erat*. Deinde, posterius quidem cornu, etsi id ægriùs, admittit tamen: mavult enim dicere eos, ex eo ꝙ contra mores patrios, quam contra legem Mosis doceret, sperasse sibi materiam fore *Christi* in vulgus accusandi: cum

tamen

tamen *Pharisæi* expressè eum premunt, nō violatione morum patriorum, sed legis Mosaicę v. 7. Sed alterum sanè cornu nullo modo admittit, cum tamen initio v. 3. simplicitèr quærunt An liceat? Vbi si de lege naturæ nihil cogitarunt, cur *Servator* primùm, & ante omnia respondet de lege naturæ? Nec facile sanè in huiusmodi quæstione non cogitare de lege naturæ: cum nihil sit societate coniugali magis naturale.

Nec *audacia* sanè, nec *inconsiderantia* fuit vlla, nedum *mirabilis*, (vt vult *Pyus* p. 23.) quod diceret *Howsonus*, vbi ad tentandum accedebant, *cum dilemmate & Crocodilino argumento* accessisse. quomodo enim probat ita mirabilē in hoc dicto audaciam esse, aut inconsiderantiam. *Nam primò*, inquit, *quænam cornua ad caput huius tentationis affiges, quâ tentabant Christum quærentes ab eo signum* Mat. 16.1? *aut quâ Leguleius tentat* Matt. 22. 35, *rogitans quod sit maximum mandatum*? Respondeo. In priore quidem tentatione, vt aut in concedēdo signo *glorioſulus*, aut in denegando *impotens* videretur. In posteriore, vt si sileret, *insciæ* argueretur, sin responderet, certissimæ *calumniæ* exponeretur. Nam & comparationes legum invidiosæ sunt, & vt quicq; magis est generale, ita pluribus exceptionibus obnoxiū est. Vtroq; autem nomine lubrica futura erat ad propositam quæstionem responsio, cum & comparatio legum instituenda esset, & de omnibus legibus Mosaicis pronuntiandum, vnam quidem maximi, ceteras minoris momenti. Deinde, inquit, quid verbi est *Crocodilitum*? be nè habet: secunda ratio gravis illius reprehensionis (*quis non miretur audaciamne tuam, an inconsiderantiam dicam &c*) ista est, quid verbi est *Crocodilitum*? Addatur et tertia ratio ex p. 24. quod dilemma cum *Crocodilo* confundat *Howsonus*: & vtraq, simul, vt indigna responsione nostrâ, ad ineptiarum catalogum remittatur.

Ad rem vt redeam; si altero cornu quęstionem Pharisaicā v. 3. truncemus, non tamen credo, cum v. 7. Pharisæi Christum vrgeant, quasi in priore responsione Mosem reprehēdisset, negabit quin in responsione ad posteriorem quæstionem

nem illud Christo imprimis propositum fuerit, vt ne Mosē reprehendisse videatur. At illud certè parum assequitur, nisi versum 9. dicamus pertinere ad explicationem sententiæ Mosaicæ. Nam quod putat *Pyus* p. 3. satis esse ad Pharisæorum obiectionem v 7. compescendā, quod doceat id de quo agitur, tantùm permissionem esse, & sanctionem esse quādam divinam huic permissioni contrariam, & permissionē istam fuisse ob cordium duritiem indultam (ex quibus dictis significari putat æquum esse, vt permissio ista nullius vnquam auctoritatis esset, cum & sanctio permissionem contrariam absorbeat, & permissio ista ob duritiem cordium concessa, videatur neminem, qui secūdum eam faceret, excusare, sed potiùs sine auctoritate, aut approbatione divinâ invaluisse) certè ista Pharisæos compescere nullo modo poterant.

Primum enim ex illis quæ a *Seruatore*, v. 8. notantur, ista quæ *Pyus* colligit minimè consequuntur: etsi enim *Sanctio* sit divina huic permissioni contraria, non tamen sequitur permissionem invalidam esse: vt commentatione 2 parag. 3. docuimus. *Similiter* etsi ob duritiem cordium indulta fuerit, non tamen sequitur neminem per eam, dum quidem valebat, excusatum fuisse, vt docuimus commentatione, 3. per totum. *Deinde* etiam, vt ista ita essent, num ergo tam acuti Pharisæi, vt ista tam abstrusa ita sentirent, vt compescerentur? Aut num ita frigidi erant, aut zelo legis, aut odio *Christi*, vt his auditis acquiescerent? Quin recurrendum potiùs ad interpretationem nostram, vbi (vt commentatione 5. parag. 8. plenius docuimus) abundè huic obiectioni occurritur.

Tertium in prædicta confirmatione momentum restat considerandum, cuius talis vis est. Duo errores Pharisaici, vterq; circa sententiam legis Mosaicæ de divortijs significantur, in illorū posteriore quæstione, v. 7. Alter quod putarunt divortium iussum fuisse: alter quod Mosem putarūt concessisse, vt divortium ex quacunq; offensione liceret. Prior in eo innuitur quod dicunt cur præcepit? Alter in eo

quod ex priore quęstione (*Pyo* hoc etiam, vt dixi, confitente) per dimissionem intelligant dimissionē quavis de causa: At *v.8. Servator* tantùm priorem errorem reprehendit, docens non fuisse præceptum, sed permissionem præcepto contrariam, ob σκληροκαρδίαν indultam; restat ergo vt alterum errorem, *v.9.* reprehenderet, & doceret Mosem non concessisse, vt divortium ex quacunq; offensione fieri liceret. Ad ista *Pyus* planè nihil respondet, nisi fortè frigidum illud, p.26. lin. 1. quod multo melius pari cum contemptu reijcitur (*facessant*, inquit, *illa tua de duplici responsione ad duas quæstiones quæ*, p.27. *intertexis*) etiam ad hunc locum pertinere dixerimus, de qua re suprà satis diximus. Simul enim & indistinctè primum illud, & istud tertium huius confirmationis momentum, quia finitima sunt, apud *Homonymos* comprehenduntur.

Alia circumstantiarum momenta quæ ad istam confirmationem pertineant, vide cōmentatione 5. parag. 8. Quibus etiam adjiciatur, quòd necesse sit versum 9. si non sit explicatio legis Mosaicæ, esse explicationem legis naturę: at in lege naturæ quæ versu, 4.5.6. pluribus exposita est, vbi vlla particula cuius istud *nisi ob scortationem* explicatio esset? Imo quis non videt, qui tres illos versus cum isto nono contulerit, istud *nisi ob scortationem* non esse illorum interpretationem, sed exceptionem. *Postremò*, cum *Pyus* hoc loco necesse habeat dicere, istud *nisi ob scortationem* esse interpretationem legis naturæ, *ab initio non fuit sic*, (hoc enim apertè profitetur, p.31. lin.1. & lin.21.) notetur quomodò eâdem paginâ hoc ipsum contradicat. Nam lin.11. dicit *Christum primùm hoc* constituisse, quod cum eo quod dicit *hanc legem fuisse ab initio*, nullo modo consistat: quemadmodum nec cum eo quod alibi vrget (de quo commentatione 5. parag. 9. copiosè egimus) nullum divortium ob adulterium lege Mosaicā licitum fuisse. Si enim istud *nisi ob scortationem* sit legis naturæ pars, semper licuit ob scortationem dimittere, vt ipse non malè sumit hac eâdem paginâ 31. lin. vltima, in exceptione vniversalis negativæ includi particu-

particularem affirmativam. Cetera quæ a *Pyo* contra primã confirmationem tertij argumenti *Howsonians* proferuntur, inde a p. 26. vsq; ad p. 36. omnia merè elenctica sunt, & in elencticis obiectionibus commentatione 5. parag. 8. & alijs in locis quæ eo paragrapho indicantur, videnda sunt.

Ad ceteras quinq; confirmationes (ita negligens est iste aduersarius) nihil prorsus quod directè opponatur respondet: tantùm p. 36. & 37. incommodũ quoddam in interpretatione *Howsonias* a circa συλλογισμὸν opponit incommodis contrariarum sententiarum, quæ ab *Howsono* confirmationis secundæ loco. p. 28. & sequentibus enumerantur diligentèr. De qua certè oppositione abundè diximus commentatione 5 parag. 7.

Tertia tertij huius argumenti confirmatio (quam *Pyus* p. 25. lin. 22. ineptè digressionem vocat, cum rectissima ad propositũ progressio sit) habetur apud *Howsonum* p. 39. & sequent: Summa est: Christus dũ in vivis ageret, palam nõ docuit quicquam Mosaicum suo aduentu abrogari, ergo illud *nisi ob scortationem*, non est restrictio, seu revocatio permissionis Mosaicæ, sed eiusdem interpretatio. Quid quæso ad istam confirmationem pertinet id quod solum excipit *Pyus*, idq; brevitèr & obitèr p. 25. lin. 22. cum dicit distinctionem *præcepti* & *permissi* totum istud refutare? Certè enim hæc confirmatio, cum supponat nihil Mosaicum palam a *Christo* abrogatum, nõ modò *præcepta*, sed & *permissiones* cõplectitur. Et si quid aliud ex ista distinctione quisquam expiscari poterit, hac eâdem commentatione parag. 2. ad confirmationem primam refutatum est. Rationes quibus apud *Howsonum* confirmatur id quod in hac confirmatione sumitur (*Christum* in vivis agentem palam non docuisse quicquam Mosaicum suo aduentu abrogari) sex sunt: sed cum earum nullam *Pyus* attingat, hoc loco a nobis omitti poterunt.

Quarta tertij argumenti confirmatio apud *Howsonum* p. 44. ex communi quæ apud *Kemnitium* habetur observatione in hunc locum, quam & *Pyus* ipse p. 27. lin. 24. satis ad

mittit. *Permissio ista Mosaica*, inquit eo in loco *Pyus, sine dubio falsis Pharisæorum glossematis depravatior & corruptior reddebatur.* Atqui si versus 9. non est interpretatio Mosis, certè Moses loquutus est de divortio quavis de causâ: ideoq; nullus planè locus falsis Pharisæorũ glossematis circa causas divortij apud Mosem relinqueretur: cum, vt commentatione 3. docuimus, ipse Moses divortium quavis de causa si permisit, etiam concessit. Nam si respondet in eo his glossematis locum fuisse, quod *præceptum* putassent, cum *permissio* tantùm fuit, certè ipse satis evidenter eâdem p. 27. lin. 7. cum dicit illud *Nisi ob fornicationem* esse revocationẽ corruptionum & glossematum Pharisaicorum, notat longè alia a se glossemata intellecta, quam quod *præceptũ* pro *permissione* intelligeretur. Quemadmodum & communior, sanè interpretatio, quæ apud *Kemnitium* habetur, notat corruptionem Mosis in eo fuisse, quod eum quavis de causa intelligerent. *Actio divortij*, inquit Kemnitius, *in eã levitatem degenerauit, vt ex quacunq; causa vxores dimitterent.* Sed ad istam quoq; confirmationem, quemadmodum & ad quintã, & sextam, planè nihil apud *Pyum*. *Quinta* est, si illud Pharisaicum de quavis causa *Christus* agnovisset pro Mosaico, nunquam ante omnia (vt est apud *Marc.* ca. 10. v. 3.) quęsijsset quid præcepit *Moses*, quasi ex eo quæstio dissoluenda esset. *Sexta* est, si quid a *Christo* additum est ad *Mosem*, certè non ad relaxationem & indulgentiam, sed potiùs, vt par erat in luce & gratia vberiore, ad perfectiorem & severiorem iustitiam pertinuit: at istud, vt etiam personę quę ob adulterium repudiata esset, liceret ad novum coniugium, fortè cum ipso adultero, ineundum transvolare, (quod ex *Pyana* sententia necessariò sequitur) potiùs ad indulgentiã, vel ad aliud fortè gravius, vt fatetur *Pyus* p. 45. lin. 8. pertinere videtur. Sed de tertio argumento, eiusq; cõfirmationibus hactenùs dictum.

Parag. 4. defẽditur argumẽtum 4^m. ex variarum probabilitatum coacervatione conflatum.

Quartum argumentum, de quo apud *Howsonum* inde à pagina 46. vsq; ad p. 52. & apud *Pyum* agitur à p. 38. vsq; ad 46. constat ex probabilitatum coacervatione, quas etiam ne-

necesse est singulatim considerari, simul tamen & vniuersim ponderari æquum est. *Licuit*, inquit *Howsonus*, p. 47. *Sacerdoti, modò non esset summus, viduam ducere.* Lev. 21. 14. *at eidem meretricem & repudiatam ducere non licuit: repudiata ergo pollutior & propior meretrici habita, quam alia aliqua soluta fœmina.* At ideo, inquit *Pyus*, p. 39. non licuit repudiatam a Sacerdote duci, quia hoc pacto mœchus fuisset mãifestarius, alienam vxorem ducens. Imo vero si hoc ita esset, ne alijs quidem eam ducere licuisset, quod tamen (vt commẽtatione, 3. parag. 9. sub initium ex *Musculo* & *Zanchio* docui) etiam hac ipsa lege indicatur. Cum enim solis sacerdotibus huiusmodi coniugium interdicitur, certè alijs conceditur: Sed & repudiatæ secundum coniugium non fuisse adulterium pluribus in locis, & præcipuè commentatione, 3ª. disseruimus. Addit *Pyus* repudiatæ cum scorto coniunctionem significare eam scortatam non fuisse, alioquin, inquit, satis fuisset scortum nominasse; tantumq; huic interpretationi tribuit, vt illam interpretationem *Howsoniauam* ineptam esse hinc probari putet. Sed cum adulterium soli marito cognitum sit, & nullis testibus probari possit, quę adultera est repudiari potest, adultera, vel scortum dici non potest. Nonne etiam potuerit fuisse vnica adulterij causa licita ob quam repudiarentur, & nihilo tamen minus proba nonnunquam repudiari? (solius enim viri testimonio nisi mulier seipsam purgare potuisset, & maritum mendacij convincere repudianda erat) certè abundè erat causæ cur in scorti mentione, et si adulteriũ vnica fuit iusta causa repudij, repudiata minimè comprehenderetur. Sed de hac re diximus commentatione, 5. parag. 6. & parag. 12 ante medium. Tantùm hoc loco notandum, cum *Pyus*, vt paragrapho illo 12 apparet, contra nos p. 53. vrgeat, quod per nostram interpretationem non minùs facilè proba, quã impudica dimitteretur, hic tamen & similiter p. 15. & 16. vrgeat, quasi per nostram interpretationem omnis repudiata verè adultera esset: cogitet deinceps, & cum istiusmodi incommodis seipsum impedit, saltem ne eãdem operà alios

ineptiarum Thrasonicè accuſet.

Addit eâdē p. 47. *Howſonus*, & p. 48. Si cauſa divortij, inquit, non erat ſolum adulterium, cur culpa, quæ circa hoc ſolum genus cauſæ verſetur, maritum licentiâ divortji faciendi privaret? qualis culpa eſt vel vitiatio mulieris ante nuptias, vt *Deut.* 22. 28. vel calumnia de impudicitia poſt nuptias illata *Deut.* 22. 19. Ad hæc *Pyus* p. 40. lin. 1. objcit, petitionem eſſe principij, quod hic ſupponitur adulterium ſub *Moſe* aliquam omninò cauſam fuiſſe divortij: quaſi verò ex compluribus argumentis ſuprà ſeriò tractatis, non liceret nunc tandem hanc particulam concluſionis præcipuæ ad reliquum inferendum ſumere. De re ipſâ quam *Pyus* ipſe, cum ad ſe redit, non invitus confitetur, ſuprà diximus commentatione 2. parag. 1, & commentatione 5. parag. 5. ad obiectionem ſeptimam, & parag. 7. ante medium, & parag. 9. 10. 11. 12. per totum. Addit *Pyus* hanc coniecturam noſtram non obſcurè adulterijs favere. De quare diximus cōmentatione 5. parag. 7. circa medium.

Nec omittit carpere quod duplicem illam culpam, cauſæ divortij etiam ob adulterium prædiudicantem, *vitiationē ante nuptias*, & *calumniam impudicitiæ poſt nuptias illatam*, cum ad vnam tantùm coniecturam pertineant, non rectè pro diverſis duabus rebus (quod illud apud *Howſonum ſecundò*, & mox additum *tertiò* denotare videntur) recenſuerit. Sed iſtud etſi frivolè, nòn tamen prorſus abſurdè. Secunda illa culpa, ſcilicet calumnia impudicitiæ poſt nuptias illata, quaſi virginitatem ante nuptias polluiſſet, ab *Howſono* dicitur (ex *Deut.* 22. 19.) maritum privare facultate, quâ ei alioquin licuiſſet vxorem ob adulterium dimittere. Hanc interpretationem ait *Pyus* p. 40. lin. 25. non mirùs quam priorem illam de vitiatione ante nuptias, *præclaram quandam conditionem vxoribus pollicerī, vt, ſi futuros maritos in pellicatum ante nuptias poſſint illicere, habitura ſint ſcortandi impunitatem, & licentiam ſempiternam.* Non facilè credo quicquam potuit dici alienius, aut ab omni ſpecie ſenſus communis abhorrentius. Vbi enim in illa interpretatione vel vnus apiculus, aut

lite-

literula vna quæ huc spectet? Sed nonne vnum est tamen in hac p.40. quod aliquid contra nos faciat? Videtur enim non improbabilitèr dictum, adulterium, si vlla fuit causa divortij, graviorem fuisse, quam vt fornicatio ante nuptias, idq; cum eo qui post maritus fieret, eam tolleret. Næ illud quidem absurdè colligere videtur, quod cũ constet divortium a Mose indultum non esse ei, qui vxorem ante nuptias vitiaverat, hinc concludit, divortium Mosaicum non fuisse ob adulterium: cum iniquum videatur, vt causa tam gravis vires suas ob huiusmodi levius impedimentum amitteret. Respondeo simul ad vtrumq; istorum. Etsi adulterium crimen semper grave fuerit, tamen, saltem stante politiâ Mosaicâ, non potuit esse gravis causa divortij, cum si probari, aut exquiri vllo modo potuit, aliæ futuræ erant huius criminis pœnæ aptiores: sin veró non potuit, æquum erat vt divino iudicio relinqueretur, vt de hac re pluribus, cum de σκηροκαρδίᾳ egimus commentatione 5.parag. 7.

Sequitur apud *Howsonum*.p.49. Si causa divortij non erat solum adulterium, sed quodvis odium, cur qui vxorem odisset *Deut*.22. non se statim per divortium liberat, sed vlterius aliquid prætendit, & illud vt ex v.19. colligitur, vt ab ea saltem per divortium liberaretur, nec aliud sanè prætendit, nisi quod ad impudicitiam pertineat? Hęc ratio cum a priore, vt res ipsa clamat, evidentissimè distinguatur, a *Pyo* tamen quia ex eodem loco *Deut*. petitur (aliud enim commune nihil habet) vt malè scilicet a priore distincta, cum quid ab ea differat homo acutus non videat, p.40. lin.25. reprehenditur. Sed quid vltrà in ea reprehẽdat videamus. Primùm verba illa quæ ex *Deut*.22, 14. recitantur apud *Howsonum*, parum fidelitèr recitari ait: cum pro eo quod ex vulgata translatione transcribit, *quæsieritq; occasiones quibus dimittat eam*, potiùs legendum esset, *imposueritq; ei occasiones verborum* sine vlla mentione dimissionis affectatæ. Respondeo, si putat consilium mariti calumniatoris tale non fuisse, vt se a muliere exosa liberaret per divortium, audiat *Calvinum* in hunc locum: *Immanis*, inquit, *hæc feritas, vt maritus*

sciens

ſciens & volens ex probro et infamia vxoris falſum eius repudiandæ prætextum quærat. Audiat & *Iunium* in hunc locum in illa verba verſus 19. *Ne poteſtis dimittere eam*, quam rem, inquit, in animo habere hoc ſuo ſermone viſus eſt.

Sin verò id quod ex hoc v. 19. evidenter colligitur admittit, *iſtud fuiſſe calumniatoris conſilium*, quorſum aut de trãſlatione tempus terit, cùm de rei veritate conſtet, aut *Hoſſonum* noſtrum eo quod ex hac tranſlatione verba *Moſis* recitaret, tam acerbè quaſi a *Tridentino* conſilio pro iſta trãſlatione ſtãtem accuſat? Cur non enim ex tranſlatione antiquâ, & nequaquam peſſimâ, cum ita nobis favet, vt nullam Hebræo iniuriam faciat, potiùs quam ex alia aliqua recitari liceat?

Sed maritus, inquit iſte, quærebat etiam dotem retinere, non contentus divortio; ideoq; etſi ad dimiſſionem quidẽ ſatis erat quod eam odiſſet, tamen opus erat, vt aliquid adhuc vlterius quæreret. Imò verò docent prædicti interpretes, cum iam olim eam odiſſet, defuiſſe tamen vnde eam dimitteret. Non dicunt eum ex hoc probro quæſiſſe dotẽ, (ne per ſomnum quidem de hoc ſomnio cogitarunt) ſed ex hoc probro prætextũ repudiationis quæſiſſe: antè ergo non habebat prætextum repudiationis, at odium antè habebat: odium ergo non erat repudiationis prætextus.

At non eſt, inquit, adulterij iſta, ſed virginitatis ante nuptias læſæ criminatio: quaſi verò cum vnicam dicimus cauſã divortij adulterium fuiſſe, intelligamus ſolum adulterium propriè dictum, non autem alias etiam impudicitias, quas in Hebræa voce, quæ per adulterium redditur, contineri ex *Iunio* notavimus parag. 1. huius commentationis ad confirmationem ſecundam. At criminatio, inquit, erat in vulgus ſparſa, quod *Hoſſonus*, inquit, aſſutè reticet: antè ſcripſerat, *non patri allata*, vt tu ſcribis, *ſed in vulgus ſparſa*, ſed a *D. Raymoldo* admonitus, illud *Non patri allata* expunxit.

Sed ex eo qnod ſcripſerat (divinatore enim opus eſt, vt, quam tandem aſſutiam in iſta *Hoſſoniana* reticentia velit, intelligamus) conijcio eum ex hoc dicto docere voluiſſe, aliud

aliud fuisse calumniatoris consilium, quam vt per divortium liberetur ab exosa vxore, cum potiùs privata actio esset in divortijs. Sed istud mariti consilium certius est ex antedictis, quam vt istâ tam levi coniectura obscuretur. quanquam & in manuscripto ad *Gentilem* (vt vidimus commentatione 5, parag 7. ante medium) negat priuatam actionem fuisse in divortijs, sed publicè fieri debuisse. *At si convinceretur*, inquit, *non erat repudianda, sed lapidibus obruenda.* Quid ergo non potuit maritus hac calumniâ id velle, vt vel per mortem vxoris, vel saltem per dimissionem ab ea liberaretur? aut nonne ex hoc loco signum evidens, odium mariti non fuisse satis ad divortium, cum tædio vxoris (quâ se si odium satis esset ad divortium facilè liberasset) in tantas se angustias maritus conijceret? Imo verò nonne etiam potuit sperare eam vel verecundiâ, vel terrore huius examinis cessuram, & divortium potiùs passuram?

Quod addit a re præsenti ad aliud digrediens, *vides ergo legis-latorem longè gentium abfuisse a tua lenitate, quâ repudij libellum vxori adulteranti pœnam sufficientem statuis, qui virginitatis ante matrimonium libatæ pœnam sanxit capitalem*, mera imputatio est. Nusquam dicit *Howsonus* divortium pœnam adulterij sufficientem esse: imò contrarium potiùs significat p.60. vbi incommoda permissionis secundarum ex divortio nuptiarum ingentia esse dicit, in quibus nullum magis quã istud, quòd adulteria spe divortij & secundarum nuptiarũ a quibusdam vbi hanc spem concipere possunt, nòn rarò de industria & impudentèr admittantur: vt docuimus cõmentatione 5. parag. 7 & 14. Ita nostra sanè longè alia est sententia, tantumq; absumus vt putemus divortium esse adulterij pœnam idoneam, vt sępè omninò nullam esse pœnam sciamus, sed id potiùs quod adultero optatissimum fuisset. Vnde illud a *Julio Claro* de quo suprà diximus sapientèr dictum complectimur, *Et iudicio*, inquit, *meo iste est vnus ex casibus in quibus Christiana respub. indigeret reformatione.* Sed cetera quæ restant pauca absoluamus.

Vt in sacrificijs, inquit *Howsonus*, p.49. *ob insitam Iudæis*

 libidi-

libidinem imitandi mores gentium, aliquid quidem indultum, sed multum tamen restrictum, vt par erat, de licentia quâ gentes ad omnem superstitionem declinabant; ita etiam de divortijs, quæ, vt testatur Augustinus de bono coniugali, cap. 7. & 8. (addo & *Iuuinum* in Deut. 24. v. 4.) *ob exempla gentium à Iudæis mordicùs obtinebantur, aliquid quidem indulgeri poterat,* (*vt scilicet eâ de causâ, quæ maximè pugnat cum bono coniugali, diuerterent*) *sed non tamen vt ad licentiam gentium leuioribus de causis dimittendi accederent*: (addo etiam, multo minùs vt licentiam gentium, apud quas vix vnquam quauis de causâ toleratum divortium, impunitate & libidine superarent.) Ad hæc *Pyus*, p. 42. *Primò*, cum illud non aliud quam verisimile ab *Howsæo* dicatur, facilè contemni posse, cum res maior sit, quam vt verisimilitudinibus decidatur. Sed quis docuit *Pyum* hanc artem, vt si quis quid per modestiam sibi ipse derogaret, id statim, quasi confitentem reum haberet, in reprehensionis argumentum arriperet? aut quis alius illud *Howsæi verisimile videtur*, ita intellexisset, ac si tantùm coniecturam & meram verisimilitudinem fuisse dixisset? Aut quis deniq; non videt alienissimum esse à severitate & sapientia legis diuinæ, ea in populo Dei tolerare, quibus nihil ferè inter profanissimas gentes magis absurdum esset? Imo ea tolerare, quę apud eruditos pleraſq; intolerabilia essent? Si enim (vt palam profiretur, p. 53. lin. 4.) putat *Pyus* permissionem istam divortij ob solam causam adulterij, *ab omni æquitate, & ratione, & honestate alienam fuisse*, (sic enim loquitur homo amens) quomodo non eam putat iniquissimam, quę leuioribus, vel quibusvis de causis divortium permitteret; idq; vltrà quam effrenatæ gentes sibi ipsis indulgerent, cum tamẽ ipsi *sclerocardiæ* (ob quam solam concessa hęc indulgentia) sufficeret, si ne æquarent quidem gentes licentiâ, modò non prorsùs ab eorum moribus dissiderent?

Sed quòd de sacrificijs illustrandi causâ dictum est, vehementiùs reprehendit. Vbinā quidem primum peccat, quòd *Howsæi* verba infidelitèr recitet. Non enim *Howsæus* ait illud, cum sacrificare Molocho voluerunt, Deum ijs per-

permisisse *sacrificium*, sed non permisisse sacrificare filios: Inspiciatur locus apud *Howsonum*, p. 50. lin. 3. Vbi non dicit *sacrificium* permisit, sed *sacrificia* permisit. Nec levis hæc culpa: Est enim fundamentum reprehensionis insequentis, vbi innuit, *Howsonum* hoc loco dicere Deum permisisse sacrificari Molocho: quod ex *Pyanâ* quidem recitatione nõ ineptè colligitur: in voce enim *singularis numeri* repetitur prædictum sacrificium, in voce autem *numeri pluralis* non item. Non satis, inquit, quadrat exemplum, nisi intelligatur permissum sacrificare Molocho, & nisi dicatur originem sacrificiorum in populo Dei fuisse ab exemplo & imitatione sacrificantium Molocho. Imo verò sine vtroq, horum satis quadrat, vt in pręfixâ explicatione satis apparet; nec *Howsoni* verba aut priorem, aut posteriorem horum duorũ errorum implicare aut innuere dicenda sunt: non priorem, quia, vt dixi, non scripsit sacrificium, sed sacrificia: non posteriorem, quia cum dixit sacrificia, non sensit totum genus sacrificiorum, sed aliqua sacrificia, id est, vt puto, aliqua genera hostiarũ: (quemadmodum id quod offertur, non solùm actio offerendi, sacrificium dicitur.)

Quanquam possumus etiam sine sententię iniuriâ interpretari sacrificia sacrificiales ceremonias varias: in quarum permultis proculdubio aliquid indultũ est cõsuetudini quã ex Gentilibus didicerant. Sed satis hunc locum *Howsonianum* interpretabuntur & defendent clarissimi scriptores Ecclesiastici, qui eandem prorsùs in sententiam loquuntur. *Iustinus Martyr* contra *Tryphonem* Iudæum paulo remotiùs ante mediũ, *Tẽporibus*, inquit, *Mosis, scelesti & ingrati in Deũ maiores vestri extiterunt, cũ in solitudine vitulũ cõflavissent: hinc deus cũ illo populo cõiũctus, ei vt suo nomine immolaret imperavit, ne simulacra colerentur*. Hæc *Iustinus*; & non longé infrà, *Ob maiorum*, inquit, *vestrorum, vestraq; scelera, ac cultum & religionem quam simulacris procurastis, sacra hæc facta sunt, nõ quod ijs Deus egeat, eaq; desideret*. Eandem in sententiam *Theodoretus* de curatione Græcarum affectionum lib. 7. de sacrificijs non longè ab initio: *Israelem*, inquit, *longinquum tempus*

in Ægipto versatum, praviſq; moribus illius regionis imbutum, ab Ægiptyſq; perdoctum idolis & dæmonibus immolare: ludis præterea choreiſq; aſſuetum, ac muſicis organis oblectari, iamq; in harum rerum habitu conſtitutum liberare Deus deſiderans, ſacrificare quidem permiſit, non tamen omnia, neq; falſis Ægiptiorum Diis, ſed ſibi ſoli ac vero Deo Ægiptiorum Deos (id eſt bruta animalia) ſacrificium victimamq; offerre.

Eodem pertinet quod inter 27. homilias in *Matt.* tomo 2, Chryſoſtomi homil. 21. habetur, & operis imperfecti homil. 32. *Egreſſi*, inquit, *fuerant de Ægipto corpore non animo: nã totam Ægiptũ in moribus ſecum baiulabant. Itaq; ſi mandaſſet ijs Moſes recedere a ſacrificijs, non fuiſſet audiendus, quia annoſa paſſio medicamento momentaneo non curatur. Iuſſit ergo eos ſacrificare quidem, ſed non iam Dæmonibus, ſicut in Ægipto, ſed Deo vivo: dimidium mali permiſit, ne totum perderet bonum: hac ratione permiſit vobis dare libellum repudij, quia melius ſolvi matrimonia, quam homicidia fieri.* Eundem in finem ex alijs locis *Chryſoſtomi* loquitur *P. Martyr* loc. com, claſſ. 2. ca. 15. parag. 26, Non datas ceremonias & ſacrificia niſi poſt vitulũ conflatum. Nec præcipuo aliquo conſilio ritus illos a Deo inſtitutos, ſed quia alitèr ad idola gentium ſeſe convertiſſent: vnde poſtquam longâ pædagogiâ muniti fuerant, æquum erat vt iſti omnia ceſſarent. Quod de auctoritate *Auguſtini* novas ex divortio ob adulterium nuptias improbantis, intertexit hoc loco; eâ ſolum occaſione addit, quod hoc loco ex *Auguſtino* dixerat *Howſonus*, ex imitatione gentium divortia primum apud *Iudæos* invaluiſſe. Sed de auctoritate illâ huius patris contra ea quæ hoc loco ſatis alieno excipiuntur, diximus commentatione primâ.

Quod ſequitur apud *Howſonum* p. 50. de eo quod nimia eſſet confuſio, ſi in toleratione polygamię etiam divortium quavis de cauſa toleraretur: quomodo apud *Pyum* dupliciter reprehendatur, p. 44. & 45. & ad poſteriorem reprehẽſionem quid reſpõdendum ſit, diximus commentatione 5. parag. 7. poſt medium: ad priorem reprehenſionem quæ falſâ interpretatione loci apud Malachiam 2. 16. nititur,

quid

quid respondendum sit, satis docuimus commentatione 3 parag. 8. circa medium. De quo etiam loco aliquid vlteriùs mox dicetur in Elencho monitorio quem subijciemus.

Quod postremo loco ab *Howsono* quæritur p. 51. Si exosæ vxores pro alijs novis quas amarent, per divortium ad libitum commutare poterant, cur tam multas, imò ipsas etiã exosas (vt apparet *Deut.* 22. 15) ad detrimentum & incommodũ retinebant? *Pyus* verbis grandibus p. 45. lin. 24. *quod adiungis*, inquit, Howsonum alloquens, *videtur historia tam priscæ quam recenti fidem omnem abrogantiũ esse: & aliorum hominum, civitatum, nationum, gentium* (sic enim suo more verbosè loquitur) *leges, institutæ, mores, iuraq; omnia abindicantis & reijcientis: quod eadem posita ante oculos suos, & in vsu collocata non videat.* Quæ hæc turba verborum? Aut quorsum illud *Eadem* (id est credo, has res, aut fortè hæc iura) in postremâ clausulâ sine antecedẽte iustâ? Imò quorsum illud *quod non videat*, obscurè credo pro *dum non vides*.

Invitus ista noto verborum vitia, nec nisi quia sententiæ perspicuitati officiunt. In re ipsa peccatum *primum*, quod ita loquatur, ac si *Howsonus* significasset in damno rei familiaris vxorum multitudinem non solitam retineri; cum ille planè contradictorium sumat, & ex eo probet non potuisse quâvis causâ dimitti, quia in damno rei familiaris tam multæ exosæ retinebantur. *Secundum* peccatum, quod cum *Howsonus* non solũ de *detrimento*, id est de damno rei familiaris, sed etiam de incommodo (id quod ad molestias pertinet quæ ex morum incommoditate oriuntur) expressè loquatur, hic ita intelligat, quasi de solo damno rei familiaris loquutus fuisset. *Tertium* peccatum, quod absurdum putet, si quis polygamos illos sumptuũ rationem aliquam habuisse diceret; ita vt nonnullis quas exosas haberent, vel hoc nomine, si liceret, se exonerare vellent. Quis enim nescit quam sumptuosa res sit vel vna vxor? Nec si *Salomõ* ditissimus hãc rationem inire neglexit, statim alij similitèr neglexere. Quis est tam ignarus historiæ priscæ, recentis, hominum, civitatũ, nationum, gentium, institutorum, morum, iurium (vt *Pyus*

nam verbositatem imiter) vt nesciat divitum & prodigorũ sordes, non modò in amputandis aliquibus honestioribus sumptibus, sed etiam in quæstibus turpissimis? Certè p. 41. lin 31. dotis retinendæ, id est lucri rationem ab istis polygamis habitam vrget ipse *Pyus*. Et filiâ natâ paupertatem cõquestũ *Caligulã* scimus. Nec iam imperatoria modò, sed nec patria onera, nec collationes in alimoniã atq; dotem puellę recipere erubuit. *Quartum* peccatũ, quod ex singulari exemplo vniversim hyperbolicè (quo nihil a didactico dicendi genere alienius) pronuntiet: quasi qui in vnâ antiquitatulâ nõ improbabiliter falsus fuisset, omni omnium fidei renuntiasset. *Quintum* est, quod in re (non dico inanissimâ) sed prorsus nullâ, (quasi nobis stupidis quidvis imponere potuisset) ità pleno ore ampulletur.

ELEN-

ELENCHVS MONITORIVS AD T. *Pyum* S. Th. Doctorem: *Vbi in morem indicis recensentur audaciæ & inuidiæ peccata, id est, ea quæ extra causæ necessitatẽ per confidentiã, & supinitatem commissa sunt.*

HActenus ad rem, & ad Dominum *Howsonum* satis: ad te Domine *Pye* liceat nunc orationem convertere. Eorũ quæ proposuisti vt tua stabilires, & *Howsoniana* refelleres, quantulum sis assecutus, ex sex nostris commentationibus poteris intelligere. Ceterarum rerum quantum egeris, & quò perveneris, & quantum extra causę necessitatem peccaveris, nunc audi paucis. Simul & quæ ad hanc rem sparsim suprà annotata sunt, pleraq; in vnum quasi indicem collecta, animo & cogitatione, ad vitanda in posterum similia incommoda, recollige. Non enim vt convitio pudorem, sed vt admonitione (nisi pœnitet admoneri) resipiscẽtiam tibi incutiam, ista interpretabere.

A *Contradictionibus* ordiar, quibus teipsum vndiquaq; saucias: vt *Lucano* titulum invidere, & *Pharsaliæ*, & *bellorũ plusquam civilium* inscriptionem postulare liber tuus videatur. Nihil penè magni momenti dicis, quod non alicubi evertis & contradicis. Minorem primarij syllogismi, contra quam penè solam pugnas, integram, quanta quanta est, cõcedis; vt totâ secunda commentatione docui. Imo vnâ eãdemq; paginâ, 21. libri tui, eandem disertè & reijcis, & admittis; vt videre poteris commentatione 6. parag. 1. sub finem. Sensum hunc minori quem affingis alienissimũ, p. 22. eundem nisi semel atq; iterum in manuscripto ad D. *Gentilem*, vix vsquam agnoscis: imo contrarium ferè passim agnoscis; vt commentatione 2. parag. 2. & 3. ostendi. Maiorem propositionem eiusdem primarij syllogismi quam paginis, 3. 4. 5. reijcis, eandem, p. 55. vt patet commentatione 4. parag. 3. integram admittis.

Contra

Contra eandem maiorem disputans p. 3. negas *divortium Mosaicum vnquam sublatum fuisse, vt quod secundum te, nunquam positum aut licitum fuerit.* Quam varijs modis huic dicto contradicis? *Primùm* p. 4. lin. 4. dicis sublatum per explicationem *Christi. Deinde* p. 55. dicis istam permissionē Mosaicam a *Christo* emendatam, seu potiùs è medio sublatam, *Tertiò* etiam addis p. 20. Mosem non propter solum adulterium instituisse divortium. Quid hoc sonat nisi *divortium ob alias causas a Mose institutum?* vnde nisi nomen tuum in contrarium mutari velis (quomodo *Vigilantium* dixit *Hieronymus* dictum pro *Dormitantio*) fatendū necessariò Mosem de eo egisse divortio quod *licitum* & *concessum* esse voluerat; quomodo enim aliquid *illicitum a Mose* institutum dixeris? *Quartò*, cum divortium ob adulterium (etsi id inconstantissimè) in causis divortij Mosaici comprehendi fatearis, vt statim dicetur, & hanc causam licitam negare nō audeas, nonne & aliquod divortiū Mosaicum licitum confiteris? *Quintò*, cum permissionem sæpe appelles, & p. 27. nihil putes absurdius posse cogitari, quam iussum, seu prohibitum cum permissione confundere, nonne negas prohibitum, ideoq; & licitum asseris divortium Mosaicum, & eâdem simul operâ, teipsum eius quo nihil potest absurdius cogitari condemnas, qui & hoc loco p. 3. divortiū Mosaicum (quod permissum sæpe cum *Christo* p. 27, & 31. & alibi fateris,) planè prohibitum dicis, & alibi p. 26. & 31 *permissiones* quasdam facis *sanctionibus* contrarias? Omnino quæstionem istam, vtrum divortia Mosaica secundū Mosē licita fuerint, ad præsentem controversiam ἀπροσδιόνυσον in manuscripto ad *D. Gentilem* vocas, id quod statim retractas evidentèr, cū de eâdem aiste ex professo & insignitè paginis libri tui pluribus disputasse (ex qua etiam disputatione p. 33. thesim *Howsoniana* contrariam infers) non enim credo dices te tā insignitè nugatum, vt de eo quod ad rem nihil attineret insignitè a te disputatum faterere.

Ad istam de licitis & illicitis repudijs Mosaicis controversiam decidendam, inprimis spectas quæstio vtrum *posi-*

tum

ſterior pars v.1. Deut. 24. hypotheticè potiùs quam abſolutè reddenda ſit: & altera etiam quæſtio vtrum illud *poſt quam factũ vt pollueretur*, quod habetur v. 4. ſit *poſt quam per maritum factum eſt vt a lulterio ſecundarum nuptiarum pollueretur*, quomodo conſtantiore quidem ſententiâ vtrumq; horum affirmes, de priore vide commentatione 2. parag. 2. circa medium: ex manuſcripto tuo ad *Gentilem*: de poſteriore commentatione 3, parag, 1. ex locis libri tui excuſi p. 14. 21. 27. 32. 55. Vtriq; tuæ ſententiæ quomodo contradicas audi paucis, vel potiùs ne *ἀριζήλως σημεῖα* iterum repetã, redi ad commentationem 3. parag. 8. vbi ex libri tui p. 20. 22. 30 31. 55. oſtenditur, te priorem illam tuam ſeutentiam de hypothetica lectione funditùs evertere. Quâ certè vnâ evertâ, omnia *Hemſoniana* a teipſo ſtabiliri ex eadẽ cõmenta & præcipuè ex eodem illo 8°. parag. intelligere poteris.

Poſteriori ſententiæ de pollutione, cui nimium quantum per totum librum tribuis, attende quam varijs modis, & quam ſæpè contradicas. Primum cum (vt commentatione 2. parag. & commentatione 5. parag. 9. ſub finem docetur) fatearis adulterium ſecundùm Moſem fuiſſe licitam cauſam divortij, vnde etiam ſequitur (quomodo & à teipſo diſputatur p. 22.) ſecundas ex divortio ob adulterium nuptias ſecundùm Moſem licuiſſe, fatendum tibi neceſſariò ſecundas poſt aliquod divortium nuptias ſecundùm Moſem non eſſe adulterium. Eodem pertinent & loca illa ante notata omnia, vbi Moſem de licitis divortijs loqui imprudens confiteris. Moſaicum enim divortium & ſecundarum nuptiarum facultatem dabat, non potuit eſſe licitum, ſi ſecundæ nuptiæ adulterinæ erant: Id quod tu ipſe, cum, vt dixi p. 22, & p. etiam 27. (vt commentatione 5. parag. 5. ſub finem expoſui) ſatis acutè animaduerteres, in manuſcripto ad *Gentilem*, dum non moraris vtrum licitum dicatur divortium, modò ſecundum coniugium illicitum dicatur, nimis temerè & Boeoticè revocas: vt commentatione 3. parag. 2 ſub finem indicavi. Sed ad tuam illam de pollutione interpretationem vt redeam, *Tertium* & *quartũ*

huic tuæ interpretationi contradictionem obijcit libri tui pagina 14, de quibus ne iterum repetam, vide commentatione 5. parag. 5. ad obiectionem 5. &. 6. Contradictionē *quintam* admirabilem vide commentatione 3. parag. 2. circa medium: vbi videbis quomodo libri tui. p. 32. intra paucas lineas novum ex divortio coniugium & esse, & non esse adulterium somnolentissimè confirmes. Quemadmodū & p. tua 14. duarum obiectionum contraria fundamenta ponis: in *altera* sumens, non dici *à quo*, nec *quomodo* polluereturin *altera* dici postquā per maritū (ecce a quo) et p iniustā repudiationē (ecce quomodo) factū vt polluretur. Vide plura loco prænotato; comm. 5. par. 5. ad obiect. 5.

Aliud in sententia tua, in quo magnum tuarum partium præsidium collocas illud est, quod putes adulterium secundùm *Mosem* non fuisse vllam causam divortij. Hoc cum. p. 40. & alibi timidiùs pronuntiasses, p. 49. & sequentibus vsq; ad 55. & in manuscripto ad *Gentilem* folijs pluribus seriò satagis. Nec sat habes negare licitum sub *Moso* ob adulterium repudiare vxorem, sed ne toleratum quidē vis: cum hanc causam in ijs, quas *Moses* toleravit, comprehendi p. 49. diserte perneges. Quam multis sententijs libri tui excusi ista repugnēt, satis docui comment. 2. parag. 1. & comment. 5. parag. 6. sub finem.

Aliud propugnaculum tuum quod putes non esse σκληροκαρδίαν in divortio Mosaico, si secundùm *D. Howsonum* verba Mosis capiantur, quomodo tuis manibus destruatur, vide comment. 5. parag. 12. sub finem; vbi legē quæ divortiū ob adulteriū, ita vt *D. Howsonus* interpretatur, permitteret, tuo iudicio ab omni honestate, ratione, & æquitate alienam esse ex ipsissimis verbis libri tui p. 35. recitatur.

Omnino ex loco *Matt.* 19. maxima tuæ sententiæ firmamenta petenda arbitraris. *Quatuor* argumenta sunt, vt exposui cōmentatione 5. parag 7. & 8. quæ ex eo loco petis, quorum confidentia *D. Howsonum*. p. 29. inconsideratissimæ temeritatis accusas, quod ex hoc loco suæ causæ præsidium petat. *Primum* tuum argumentum nititur hoc fun-

da-

damento, quòd putes Christum fateri Mosem locutum de divortio quavis de causa: sic profiteris p. 24. & p. 30. verbis expressissimis. *Habemus*, inquis, *Christum pronuntiantē illa apud Mosem divortia non ob fornicationem solùm, sed quâvis de causâ fieri potuisse.* Et iterum, ἀντιγομίαν, agnoscit, inquis, *Christus, & fatetur legem illam Mosis de divortijs quavis de causa facta esse intelligendam.* Quâ ergo fronte ad *D. Gentilem* scribens, *consignatis tabulis*, inquis, *agito, locum in meo libro signato. vbi quæso fecisti* D. Pyus *de levissimâ &c.* Ibi certē censuisti vbi de *quavis*, id est, de *omni*. Ais enim ibidem ad D. *Gentilem*, *Quis tam insciens & mersus est, qui omnem causam includere levissimam non intelligat?* Sed si hoc loco ad D. *Gentilem*, non satis tuum illud fundamentum de quavis causa conuellere videbere, nonne cum adulterium, vt suprà dixi, excipis, negas *Mosem* de quavis causa locutum? Nonne etiam p. 27. idem facis, vt docui commentatione 6. parag. 3. sub finem, cum præter causas Mosaicas, alias per Pharisæorum glosemata inculcatas significas?,

Secundi tui argumenti, quod ex loco illo Mat. 19. educis, vis tota in eo, quod putes exceptionem *Nisi ob fornicationem* esse ἔνθετον legis naturæ. Quod si verum esset, divortium ob adulterium semper licuisset, id quod tibi, qui sub lege Mosaica illicitum, vt suprà dixi, arbitraris, necessariò negādum erit'. *Tertium* tuum ex eodem loco argumentum illud est, de cordium duritie, quod quomodo per teipsū destruatur, iam dixi. *Quartum* eo fundamento nititur (vt ex commentatione 5. parag. 8. sub finem colligi poterit) q putes permissionem divortij, ita vt alteram ne ducamus, non minùs dicendam esse Mosaicam, quam illam, quâ ita permitteretur divortium vt alteram ducamus. Hoc fundamentum tuis manibus evertitur p. 32. vbi dicis libellum repudij testimonium fuisse liciti secundi coniugij. Vnde sequitur, Mosaicam permissionem intelligendam, non vt nudam separationem permitteret, sed simul etiam novum coniugium. Sed alia tua propugnacula videamus.

Magnum quid & in eo ponis, quod tibi videatur *Hos-*

ſoniana theſis adulterio favere. Quomodo faveat dum exponis, mirum quod non intellexeris ſub *Howſoni* nomine tuam à teipſo ſententiam peti. Obijcis *Howſono*, quaſi ſecũdum eius theſim ſpes nuptiarum cum repudiatâ adulterâ ineundarum in Chriſtiana Rep. proponatur: Et ita homines ad adulteria invitentur. Hęc obijcis, p. 45. quemadmodum commentatione 5. parag. 7. hanc tuam obiectionem inſaniſſimam (quis enim hoc neget) expoſui. At hoc certe totum tuæ ſententiæ, qui ſecundum poſt divortium ob adulterium coniugium licere vis, quadrat aptiſſimè: ab *Howſoniana* autem theſi toto cœlo diſiunctum abhorret maximè. *Addis*, p. 37. vt nimis lenem in adulteras D. *Howſonum* eſſe doceas, *ne licere quidem adulteram retinere*. Quod etſi in manuſcripto ad *Gentilem* tantùm non retractes, tamen, p. 14. (vt docui commentatione 5. parag. 5. circa medium) diſerte hoc aſſeris & non ſemel. Sed ſi iſta vera ſunt quid fiet de tuo illo quod dixi dogmate, ſecundum *Moſem* non licere divortium ob adulterium? Vis enim vt miſer maritus lupam auribus teneat, quam nec retinere poſſit nec dimittere. Auctoritatem obijcis & aliorum, quibus (vt docui commentatione 5. parag. 1. ſub initio, ipſe contradicis maximè, & Anglicanæ Eccleſiæ, quæ tuum dogma reijcit, & *Howſonianam* theſim admittit. Imò quæ in *Howſonũ* verbis tumidiſſimis intonas, *quòd homilias quaſdam publicè receptas contradicat*, omnia quaſi in ſolidum conjecta, ab illo reſilire, & in teipſum redundare, docui eâdem comment. 5. parag. 1. circa medium.

Videris ſanè ex *Tarquinij* illius, ſeu *Periandri* conſilio, quæcunq; erant in tuo iſto hortulo eminentiora, & melioris notæ capitibus truncaſſe. Tandem etiam, tyrannorum more, abſumptis proceribus, incipis *cordonibus eſſe tremendus*. Ne minutioribus quidẽ ſentẽtijs, aut proletariæ tuæ plebeculæ cervicibus ſeviciam abſtines. *P.* 54. Moſaicam dimiſſionem manifeſtam & publicam, nullam autem occultam & privatam fuiſſe ſumis: *Idem*, p. 42. lin. 2. privatam, niſi fallor, actionem fuiſſe ſupponis. Vide commentationem ſex-

ſextam, parag. 4. paulo ante medium. P. 46. ex eo quod *Howſonius* theſis novas poſt divortium ob adulterium nuptias improbet, infers per eam id agi vt adulteria impunita eſſent: pœnam ergo adulteræ ſtatuis divortium, & novas nuptias eſſe: at p. 45. hoc ipſum eſſe aſſeris quod adultera optaret, & ne probæ quidem mulieri pœnam eſſe: Vide commentatione 5. parag. 7. poſt medium. P. 53. duo agnoſcis mulierum genera, de quibus ſecundum interpretationem *Howſonianam* ex permiſſione divortij, fieri poſſit vt aliquid à maritis ſtatuatur: *alterum* probarum, quas mentiendo: *alterum* impudicarum, quas vero teſtimonio eijcerent: vnde eius interpretationem magis impudicis quam probis conſulere arguis. Atqui idem, p. 39. & 14. & alibi *Howſono* obijcis quaſi ſolas adulteras repudiatas dixiſſet, vt ex ipſa repudiatione (verba tua ſunt, p. 39.) *ſcirtum eſſe neminem poterit eſſe dubium*. Vide comment. 6. parag. 4. ſub initium.

P. 44. dicis verbum χωρίζεσθαι, nunquam pro legitimo divortio vſurpari, idem p. 56. ad tractatum D. *Raynoldi* de hac re tota nos remittis: at ille verbo illi μὴ χωρισθῆ, loco illo, 1. Cor. 7. 11. de quo p. illa 44. loqueris, ſubintelligit *niſi ob fornicationem*, quemadmodum & tu ipſe ſubintelligis eandem p. 44. lin. 12. ita fateris aliquem eſſe χωρισμὸν legitimũ. Ex auctorum enim tuorum non malâ regulâ, qui vetat χωρίζεσθαι *niſi ob ſcortationem*, concedit χωρίζεσθαι ob ſcortationem. Vide commentationem 1. parag. 5. P. 30. *permiſſionẽ* Moſaicam vocas legem, & eandẽ eâdem, p. dicis reſpectu legis naturæ ἀντινομίαν cõtinere: eandem, p. 27. negas eſſe legem. *Eâdem* p. 27. dicis Chriſtum cum legem naturæ interpretaretur, planè idem cum *Moſe* dicere: *addis*, p. 38. Chriſtum non ferre novam legem: at p. 31. agnoſcis aliquid quod hoc loco Chriſtus primum conſtitueret, idq; opponis ei quod *Moſes* ludæis indulſerat. *Eâdem* p. 32. diſpenſationem Moſaicam agnoſcis, quâ alibi meram factã ſuppoſitionem eſſe vis. *Res familiaris* in vxorijs negotijs gationem à veteribus polygamis habitam dici itides, p. 45.

eandem ab ijsdem habitam vrges, p. 42. lin. antepenul. Vide commentationem 6. parag. 4. sub finem. Αιτιολογίαν illiciti reditus ad priorem maritum, *Deut.* 24. *v.* 4. agnoscis, & vrges, p. 35. eandem ex toto *v.* 4. p. 14. tollis: dum illud *postquam factum vt pollueretur*, potiùs tempus ex quo cæpit reditus illicitus esse, quam causam denotare vis: vide commētationem 5. parag. 5. ante medium. *P.* 36. lin. 22. negas ex divortio Mosaico, prout ab *Howsono* exponitur, vllam in repudiatas contumeliam potuisse redundare: idem, p. 53. lin. 17. perpetuam ignominiam agnoscis, & lin. vlt. de eius fama, dignitate, honestate, existimatione actum esse dicis.

Quæ vnquam Medea, aut quis Saturnus ita suorum omnium parricida? Perge nunc, & Priamum cum *Tiberio Cæsare* voca felicem, quòd suorum omnium superstes fuerit. Quorsum enim expectaremus, vt ista tot, & tam alta tibi per teipsum inflicta vulnera, eâdem quâ fecisti manu sanares? Certè si sanaveris, non dico quod à te in re longè leviore dicitur, p. 56. *eris mihi magnus Apollo*, (quanquam & *Apollinis* ante omnes manus medica) sed quoniam *Achilleum* esse dicitur eodem telo vulnus & medicinam facere, *eris mihi magnus Achilles*. Sed scísti credo homo Philosophus, nullam esse gloriosiorem victoriam quam seipsum vincere: hoc scilicet, (si licet patientiæ nimium quantum à te læsæ τραγικώτερον loqui) *In te ipse sævus ordinaras agmina, teq; ipse contra tela acuta torseras.*

Peccata contra sensum communem.

Vtinam verò hic se stitisset temeritas; nec alijs quoq; præter teipsum, a quibus inhonestissimè dissideres, bellum indixisses: *Communi sensui* difficiliùs quam tibi ipsi reconciliabere. *Quod enim* potuit contra *sensum communem* capitalius cogitari facinus, quam *primò* quidem indignissimam minori propositioni primarij syllogismi *Howsoniani* (de qua totum penè futurum negotium erat,) sententiam sine omni colore aut specie verisimilitudinis affingere. *Deinde*, cum infinita essent tuæ interpretationis incommoda, nullum amoliri, nullum sentire. *Postremò*, cum huius amentiæ per *D. Gentilem* admonitus fuisses, tam necessariam admonitionem

onem, vt vanum quid & iniquum (ſic enim loqueris) contemptim eludere: nec quicquam agere, vnde te ipſum ſpinis, quibus vndiq; compũgeris, expedires? Certè ex ipſius *Howſoni* verbis aliquibus, probanda tibi fuerat ea, quam illius ſententiæ interpretationem ipſi invitiſſimo obtrudis. Sed tu nihil tale cogitas: rationem profers ex tuo ſomnio, ἀλογώτατον λόγον, quæ quam ſit miſerabilis, docui commentatione 2. parag. 2.

Cogita & revoca teipſum homo alioqui non hebes: nos enim patientia pene βλάκας καὶ ἀνοήτους. Quid poteſt eſſe abſurdius, quam in cauſâ inaniſſimâ, cum multiplex & promptiſſima eſt reſponſio, tragicè & hyperbolicè in adverſarium invehi: & id ita, vt omnia convitia in ipſum convitiatorem evidenter & neceſſariò redeant? Solenne hoc tibi, nec vnquam ferè ſævis, niſi ita ridiculè. Vide exempla, & ſimul alias intellige abſurditates complures ex manuſcripto ad *Gentilem*, commentatione 5. parag. 1. circa medium: de auctoritate Eccleſiæ Anglicanæ: *item* de interpretatione legis abrogatæ, eâdem commentatione 5. parag. 18. circa medium: *Ex* libro autem excuſo, vt alia omittam, de duritate cordium p. 37. vide commentationẽ 5. parag. 7. per totũ, & parag. 12. circa medium. *In* manuſcripto ad *D. Gentilẽ* gratias tibi a *D. Howſono* deberi ais, quod tuo admonitu in poſtremam libri ſui editionem illud *& iure Canon.* p. 57. inculcaverit: quam ſit hæc abſurda gloriatio intellige, partim quidem ex commentatione 5. parag. 13. poſt medium, vbi oſtenditur, hanc inculcationem meram eſſe corruptionẽ, & inſcio *Howſono* irrepſiſſe: partim verò, ex eo quod inter primam libri *Howſoniani*, & poſtremam editionem vix interceſſerit integra ſeptimana, cum prima tua reſpõſio, quę Anglicano ſermone conſcripta fuit, poſt quinq; penè integros menſes ad *Howſoni* oculos circa initium Decembris Anno 1602. primùm pervenerit.

Accedit ad hoc genus peccati & illud, quòd in iſta controverſia, in qua ita turbas, hoſpitem planè teipſum & peregrinum eſſe probes: dum ad, quo nihil eſt in ea maioris momẽ-

momenti, aut magis, vt ita dicam, fundamentale (vt ex totâ commentationum nostrarum serie, & imprimis commẽtatione 3. parag. 1. apparet) quasi nihil ad te attineret, susq; deq; fers. *Tale* & illud quod in manuscripto ad *D. Gentilem* concedis, licitum dici divortium Mosaicum, modò ne & nouum ex eo coniugium licitum dicatur: quâ sanè concessione (vt docui commentatione 3, parag. 2. sub finẽ) concedis vt *licitum* dicamus divortium, sed eâ tamen conditione, vt ne dicamus *licitum* esse: *Simile* est quod (vt docui commentatione 3. parag. 2. sub finem) concedis vt *licitum* dicamus divortium, sed eâ tamen conditione, vt ne dicamus *licitum* esse: *Simile* est quod (vt docui commentatione 5. parag. 5. ante medium) p. 14. postquam vnius obiectionis confirmationem duplicem, vno eodemq; fundamento superstruxeras, eâdem p. obiectionem contra nos proponis aliam, cui id quod priori suppositioni planè contradicat, pro fundamento sumis. *Vide* & eiusdem commentationis sub finem eiusdem paragraphi Enthymema tuum admirabile, de cuius consequentia planè divinandũ est. *Adde* & ex commentatione 3. parag. 2. alium syllogismum tuum, cuius maiorem hypotheticam, satis per se manifestò veram, confirmas calamitosissimè. Cum enim aut nihil aut tota hypothesis probanda esset, tu de sola parte posteriore agis: eam categoricè enuntiatam probas veram esse: & ita totum syllogismum (vt fit in ijs omnibus syllogismis hypotheticis qui in minore id assumunt, quod alteri parti hypotheseos contradicat) funditùs evertis. Vide exemplum loco notato, & res erit clarissima.

Adde quod in manuscripto ad *D. Gentilem*, vbi de testimonio Ecclesiæ Anglicanæ agis, vt ne repetam quæ alibi notata sunt, permissionem divortij quavis de causa a *Moſe* fuisse ex eo probari putes, quod in vsu apud *Indeos* fuerit: quo pacto omnium pravarum consuetudinum Iudaicarũ, *Mosem*, & ita *Deum*, necessariò reum facis. *Adde* & quod libri excusi p. 47. dicis æquè pro tuis partibus facere, atq; pro *Hewsono*, vt *Christus* apud *Matt.* 5. 32, & 19, 9. inter-

pre-

prætetur locum *Deut.* 24.1. De primo enim verſu *Deut.* 24. loquitur *Howſonus*, & tu communem defenſionem vocas. Quàm ſit hoc abſurdum vide commen. 6. parag. 2. & 3. item comment. 5. parag. 8. *Adde* & ex commen. 6 parag. 1. ſub finem, vbi exponitur præclara illa diſtinctio libri tui p. 21. cuius confidentiâ & minorem *Howſonianam*, non de iure, ſed de vſitato interpretaris: & *Burgenſianam* ſententiam ipſius verbis (falſò enim putas verba eſſe *Abulenſis*) cãdem p. irrides & amplexaris. Diſtinctio eſt eorum quæ per legem licita ſunt, vt alia per legem diuinam licita ſint, alia non per legem diuinam licita, ſed vſu tamen factitata. *Accedat* & ex comment. 5. parag. 9. ſub finem, admirabilis tua obiectio petitionis principij, libri tui p. 49. cũ reſpondentem ad argumenta non vis id affirmare, quod in propoſitâ quæſtione defendit. *Accedat* & quod p. 40. lin. 25. in *Howſono* reprehendis, quaſi, cum dicit *maritum qui vxoris ante nuptias pudicitiam violaverat, divortium cum ea, ſi poſt adultera eſſet non potuiſſe facere*, hoc dicto virgines animaret, vt cum futuris maritis ante nuptias concumberent, vt ita ſine metu divortij poſt nuptias ſcortentur impunè Vide locum notatum, & accuſa ſi mentior: & dic ſimul ſi potuit animal ratione præditum magis ſeriò delirare. *Vide* & comment. 5. parag. 7. poſt medium, & compara cum libri tui p. 45. vbi dicis *Howſonianam* theſim in remp. Chriſtianam illud incommodi graviſſimi inducere, vt mulier viri perſęa, ſpe divortij, & ſecundi (fortè cum adultero) coniugij, ſponte ſcortetur: Non poſſum cogitare quid potuiſſes atrocius contra ſenſum communem peccaſſe.

Non libet omnia perſequi. In diſputatione de iure civili ſingula abſurda recenſere nimium eſſet, præcipua ſunt iſta. *Primum*, quod *Howſonum* acerrimè accuſes quaſi de iure civili mentientem, cum id quod ab eo dicitur, certiſſimi quidem ſit iuris civilis. & tamen ab eo non dicatur iuris civilis eſſe. *Secundum*, quod in hac diſputatione contemnas ius Novellarum, quod cetero omni iuri præpollet. *Tertium*, quod ita multis de hac re ſatagas contra anteceſſorem cla-

tissimum, ipse inscitiam non modò profitens, (quod ego non arripio) sed probans insignissimè: vt comment. 5, parag. 11. satis ostenditur. *Quartum* quod cum initio scripti tui ad D. *Gentilem* nimis quam severiter (vt comment. 3. parag. 2. notatur) ἀπροσδιόνυσα reijceres, in isto (quod vt docui comment. 5. parag. 10. sub initiũ imprimis est ἀπροσδιόνυσον) plus quam dimidium illius scripti consumeres. *Sed* de isto peccati genere hactenus. Nec pigebit quod suprà in prædictorum non paucis, quædam ad contradictiones pertinentia notentur. Plura enim in eâdẽ materiâ peccata distingui, idem hic communis sensus postulat.

Audacia dogmata.

Θεμελίαν non objicio quam p. 28. (vt patet comment. 6. parag 2. sub finem) D. *H wſono* sine causa objicis, sed vocetur sanè audaciæ peccatum contra evidens scripturarum testimonium. Servator *Marc*, 10. 5, posteriorem partem v. 1. *Deut.* 24 vocat mandatum, vt, etsi dimissio tantùm permittatur, libellus tamen repudij præcipiatur. *Propter duritiem cordium vestrorum*, inquit, *Moses dedit vobis mandatum istud*, tu in manuscripto ad D. *Gentilem* meram vis esse factisuppositionem: Evndem in finem libri tui p. 33, & sequẽtibus multa loqueris. *Seruator* Matt, 19. v. 8. dimissionẽ Mosaicam dicit *permissionem* esse, tu, cũ p. 3. dixeras planè *prohibitam* esse, addis p. 27. nihil posse absurdius cogitari, quã dicere idem esse *iussum* (id est vel negativè, vel affirmativè mandatum; vt comment. 5. parag. 5. sub finem exposui) & simul etiam *permissum* esse. Vnde cum Servator *permissam* dicat eam dimissionem, quæ secùndum te *prohibita* planè est, necesse dicas Servatorem facere idem esse & *prohibitũ* & *permissũ*. Ex quo sequeretur, ex eo quòd p. 27. ponis, Servatorem id dicere quo nihil &c. Neq; sanè (si quid intelligo) fuga vlla est quomodo istius insanæ blasphemiæ crimine librum tuum liberes. *Sed est* etiam alia penè huic æqualis p. 53, lin. 5. de qua vide comment. 5. parag. 12, circa medium.

Audacia & periculosa dogmata.

Periculosa tua dogmata cum isto peccati genere coniungo. *Tale* est inprimis illud quod Mosem quavis de causa divortium,

divortium, & novas ex eo nuptias permisisse dicas p.301 *Et illud* quod potius quamvis caulam quam adulterij causam abeo toleratam: Id quod necesse est vt dicas, partim ex priore illo dogmate, partim ex illo quod sequitur. *Tertium*, quod & alijs locis pluribus, & præcipuè p. 49. & sequentibus dicas causam adulterij, in illis causis de quibus agitur *Deut.* 24. *v.* 1. non omninò comprehendi: vnde sequitur ne toleratum quidem à Mose divortium ob adulterium. Vnde etiam sequetur, omnino nullum divortium inter Iudæos licuisse: ne illud quidem quod tantùm à toro & mensa separet: per te enim non minus hoc quam illud dicendum erit Mosaicum. Et per tuos auctores, imo per teipsum (vt apparet commentatione 5 parag. 5. sub finem) non licet divortium, nisi cum licet novum coniugiū. Ideoq; cum lex Mosaica divortio alicui potius faveat quā deroget, necesse, si sub Mose illicitum fuit omne vtriusq; generis divortium, ex lege naturæ illicitum fuisse: Sicq; ne nunc quidem vlla ex causa licebit vllum genus divortij facere. *Addatur* his quod cum p. 33. lin. 28. facias Polygamiam sub lege non magis licuisse, quam novum ex divortio coniugium, (vnde & p. 3. vtrumq; planè prohibitum dicis) cum autem qui repudiatam ducit p. 39. voces mæchum manifestarium, necesse etiam sanctos patres, & *Davidem* in sua polygamia mæchum voces manifestariū. *Nec* leve sane, quod omnem, (vt docui comment. 5. parag. 5.) adulteræ retentionē & receptionem illicitā facias. *Quodq;* p. 54. directè contra illud ἀπολῦσαι *Mat.* 1. 19. negans *Iosephum* de Mosaico repudio cogitasse, necesse habeas aliam coniugum arbitrio privatam, & clandestinam separationē approbare: nisi fortè contra expressa scripturæ verba consilium & propositum *Iosephi* viri iusti fuisse negaveris. *Sed eum* p. 5. probari postules alijs rebus præter *ceremonias* finē factum per adventum Christi, & neges oculos vestros lucē quandam circa hanc rem meridianam capere: cui non videaris dicere *indicialia* Mosaica adhuc obtinere? Quod quā periculosum dogma sit, & quorsum tendat, indicavi com-

ment. 4. parag. 1. circa medium. *Contrarium* quidem, quod in te mirum non est, p. 28. sentire videris: vbi eorum more qui in contraria currunt, non minùs periculosè *iudicialem lacunam* dicis. *Pari culpa*, p. 30. ex eo, quod ab homine separandi non sint quos Deus coniunxit, colligis & proplano certoq; ponis, non esse vlli creaturę potestatem leges de divortijs condendi: Quasi vero idem esset humanâ auctoritate dirimi coniugium, & leges aliquas extra eas, quæ in scripturis expressè habentur, condere. *Cartwrightianũ* hic latet dogma (nisi fallor) vt nihil extra mandatum scripturarũ fieri liceat. *Nec tutum* sanè, (vt de absurditate taceam) quod p. 40. lin. 21. indignissimũ statuis, vt ciuiles pœnas evadant, quæ ità cautè peccant, vt testibus revinci nequeant. *P.* 45 locum Malachiæ 2. 16. periculosè admodum, & contra fidei analogiam interpretaris. Ex tua enim interpretatione necesse erit vt propheta, idq; auctoritate divinâ (grave illud, *dicit Dominus* adijciens) iubeat vxores exosas, etsi nõ adulteras dimitti. Vis enim ibi loqui Prophetam de odio quod non ex adulterio oreretur. Vis & in gratiam exosarum hoc à Propheta dici. Sunt ergo verba Prophetæ non recitantis obiectionem Iudæorum, & eandem per ironiam reijcientis, sed seriò monentis, vt vxores non adulteras dimitterẽt: id quod ne ipsum quidem per se cum permissione ob duritiem cordium consentire potest. Cum verò adijciatur sacra auctoritas *dicit Dominus*, certè sub mãdati, non sub permissionis formâ proponatur necesse est: id quod non solũ tua permulta, & præcipuè quæ p. 27. & 31. à te disputantur funditus evertit: sed & aliàs quoq; vt patet, insanissimam doctrinam continet: & *Seruatorem Christum* mendacij arguit, qui ex tuâ ipsius interpretatione quę p. 26. lin. 4. habetur, respondet Pharisæis *Mat.* 19. 8. *Moses non præcepit, sed ἐπέτρεψε, permisit dimittere vxores.* Equidem quid ad ista tam indigna respondeas non intelligo, nisi quod, p. illâ 45. non dicas, Deus apud Malachiam concessit, sed *videtur eam ob causam* (in gratiam scilicet vexatarum ab alienatis & polygamis maritis) *concessisse*. Sed primò quidem istud *videtur*

datur non est dubitantis *vtrum concesserit*, sed potiùs vtrum *eam ob causam concesserit*: at nobis certè, vt prædictarum absurditatum convincaris, satis erit si concesserit, etsi aliam ob causam: cum illud *dicit Dominus*, de permissione solâ intelligi nequeat: cumq; has mulieres adulteras fuisse nolis. Deinde, cur omnino illud tuum *videtur* dubitantis esset, & non potiùs *δογματικὸν*, vt græcorum illud *δοκῶ*? cum ad id quod dixeras *ex divortio confusionum remedium esse* (quod & ipsum quoq; periculosum dogma est) *stabiliendum*, hæc sit tua vnica ratio. Ideoq; (vt comm. 1. parag. 3. notavi) *Augustinum* in re sibi persuasâ, quia contra *Ambrosium* dixit, parciùs locutum; ita tu quoq; de re loquens, quam (incommoda tuo more parum circumspiciens) persuasam habuisti, quia contra *Iunium*, quem nobiscũ vnà permagni facis, dixisti, videris parciùs loquutus. Sed ista forsan prolixiùs quam Elenchi aut indicis ratio ferret: vide de hac re cetera comment. 3. parag. 8. *Quod* quæris p. 53. *& quid obsecro*, inquiens, *differt hoc ab eo quod nos maritum quavis de causa vxorem dimittere dicimus*? quã periculosum, vel potius impium dogma occultè contineat, (dũ gravissimũ onus cõscientię peccati pro nullo discrimine reputas, quin si quid in lege divina sub hoc onere prohibeatur, nisi addatur etiã pæna tẽporaria, perinde sit ac si prorsus cõcedatur) satis expositi com. 3. par. 12. post mediũ. *Nec leue* sanè illud, aut grãmaticũ potius, q̃ Theologicũ peccatũ putandũ, quod ea quę Christus in lege *permissa* vocat, tu planè *prohibita* dicas. Ex quo dicto quam periculosa consecutura sint ex comment. 2. parag. 3. non longè ab initio collige. *Vide* & pag. tuam 13. Vbi nothos nulli aut perexiguæ Deo curæ esse vis.

Attende & imputationes falsas, quas alius fortè calumnias diceret: sed mihi cui sacrum & summũ scelus est malâ fide agere, hoc crimẽ de quoquam credere difficile est. Sed quod in sciente & prudente calumnia est, cum per præcipitem negligentiam, aut imperitiam committitur, falsa imputatio erit. Talia sunt in primis quidem magna illa & latè patentia convitia: de quibus in prioribus peccatorum generi-

bus annotatum eſt. *Præcipuè* quòd *Howſonianam* theſim in dedecus *Edwardi* Sexti, *Eliſabetha Regina, Parliamẽti, Synodi Londinenſis*, & omnium *Eccleſiaſticorum* ordinũ, *Eccleſiæ* Anglicanæ, & in egregium decus *Bonneri* & ſimilium ab ipſo propoſitam, in manuſcripto ad *Gentilẽ*, ex eo, quod vt alibi oſtenſum eſt, ne ſpeciem quidẽ rationis, multò minus candoris & humanitatis habeat, aſſerere auſus fueris: cũ tamen in libro tuo excuſo eum & *fratrem charìſſimum* p. 32 & *amicum veterem* p. 54. appellaveris, & p. 1. *multa in eo amãda & laudanda & olim & nunc quoq;* agnoveris. *Proximum* huic convitio & penè g:nuinum eſt, quod in libro tuo excuſo occultius, ſed ſatis ſæpè accuſas quaſi amore Pontificiorum dogmatum, non veritatis ſtudio de hac controverſia *D. Howſonus* ſibi agendum ſumpſiſſet. Huc enim ſpectat illa parentheſis p. 56. (*vt quod gravius eſt*, inquis, *& capitaliùs taceam*) Huc quod occaſione ita levi arreptâ p. 41, in *D. Howſonum* quaſi pro Tridentino concilio ſtantem inveherere: De qua re vide comment. 6. parag. 4. ante medium *Huc* deniq; quod p. 2. de tempore tam exulcerato, deq; Academia *Oxonienſis* non mediocri dedecore ſolicitus eſſes. Sed num etiam reverendiſſimum nuper Archiepiſcopum *D. Whitgiftum* Papiſmi accuſabis? Num *ſynodum Londinenſem*, aut priorem illam *Anno* 1597. aut alteram nuperam *Anno* 1603? Atqui & ille vt dixi comment. 5. parag. 14. circa mediũ, & hæc, (vt oſtendi comment. 5. parag. 1. ſub finem) novas ex divortio nuptias improbat. Neſcis a *Papiſtis* teneri quædam non *Papiſtica*, & a noſtris quædam non noſtra? An tutum putas, vt quicquid aliquis egregius *Papiſmi* oppugnator dixerit, ſine examine admittatur? Neſcis nihil ſimul & conſtitui & perfici; Neſcis optimos quoſq; & doctiſſimos humanitùs ſæpè decipi, & cum ipſi decepti ſũt quo magis ſunt boni & docti, eo faciliùs decipere: & quo faciliùs decipiunt, eo magis eſſe cum iudicio & examine audiendos? *Alia* imputatio falſa, & illa quoq; pergravis, quod theſis noſtra adulterijs faveat: vide refutatam comment. 5, parag. 7. per totum. *Aliam* quoq;, quòd alijs etiam

ciam malis maximis remp. oneret, quam p. 2. lin. 6. ſignificas vide reiectam comment. 5. parag. 14. *Quod* dicis p. 42 lin. 7. divortium ab *Howſono* cenſeri pœnam adulterij ſufficientem falſiſſimè hoc quoq; imputari, vide oſtenſum cõment. 5. parag. 7. *Howſonianam* negligentiam accuſas p. 3. lin. 10. quod maiorem primarij ſyllogiſmi ſui delectui habuerit: falſam hanc accuſationem eſſe intellige ex comm. 1. parag. 1. *P. 5. lin. 2.* Chriſtum diſpenſationis Moſaicæ inſtauratorem fuiſſe, pro verbis *Howſoni* ex p. 17. libri eius recitas: cum, vt docui comment. 4. parag. 2. circa medium, ab *Howſono* nihil vnquam in hanc ſententiam nec loco notato, nec alibi vſquam habeatur. *P. 17. Howſonianam* ſententiam de locis d iobus *Paulinis*, & de loco *Apoc. 12.* malè recitas, & corrũpis; (vt docui cõment. 6. parag. 1. ante medium.) *Cur* Chriſtus nõ ſit dicendus, dum inter homines ageret, palam docuiſſe legem Moſaicam abrogatam eſſe variæ rationes ab *Howſono* a p. 41. ad p. 44. afferuntur, hunc tu totum locum cum ad propoſitum directiſſimus ſit (vt oſtendi comment. 6. parag. 3. ſub finem) digreſſionis otioſæ p. 25 accuſas. *Primam* ex rationibus quas affert ex dicto Chriſti. *Non veni ſolvere legem*, (quod dictum ſine circũſtantiarum, quæ ſunt apud *Howſonum*, adiumento nudè recitas) ad ceterarum contemptũ *rationem præcipuam* vocas p. 4. cum tamen apud eum aliæ ſint rationes validiores. Nec neceſſe ſemper, vt in aciebus, ita & in diſputationibus validiſſima quæq; in prima fronte collocari. *P. 7. lin. antepen.* ais *Howſonum* in cauſis divortij Moſaici, quaſdam immunditias agnoſcere, quæ non modò non ad adulterium propriè dictum, ſed ne ad illud peccati genus accedant, quod ſub adulterij nomine prohibetur in Decalogo: ſic enim te ibi ſenſiſſe apparet ex libri tui p. 17. & ſequentibus, vbi ad ea loca libri *Howſoniani* p. 12. & 13. reſpondes, ad quæ loca pro huius tui dicti confirmatione p. illa 7. nos remiſeras: Meam eſſe iſtam imputationem falſi, docetur comment. 6. parag. 1. in confirmationem quartam & quintam. *Tertiã* primi argumenti pro minore primarij ſyllogiſmi *Howſoni*

eam

ui, confirmationem ex vi vocis Hebrææ desumptam p. 21. lin. 10. nimis infidelitér recitas. In eo enim omnem huius confirmationis vim inesse vis, quòd vox Hebræa nonnunquam hominis pudẽda, nonnunquam cum alijs vocabulis adiunctis carnalem copulam significet. Redi ad comment. 6, parag. 1. vbi in tertia confirmatione longè alia rationis momenta invenies, quam de quibus tua supinitas suspicari potuit. *P.* 12, lin. 25. vsq; ad inhonestum & indignum ridiculum progrediens, nimis manifestè calumniaris, quasi *Howsonus* hoc loco voluisset ipsa membra muliebria significari: vnde quæris nimis turpitèr num eorum in vxore inventionem, legitimam divortij causam pronuntiaturus esset. *P.* 14. lin. antepen. *Qua* inquis, *licentia tot integras ad libidinem tuam adulterij condemnare?* Id vis, nullam secundũ *Howsonum* vsitatam fuisse inter ludæos repudiationem nisi adulterarum: falsissima imputatio, ad grandem illam & latè patentem pertinens, quâ statum quæstionis præcipuè insanissimè corrumpis: de quare satis iam supra in alijs peccatorum tuorum generibus. *P.* 8, lin. 10. *Quid audio*, inquis, *adulterium tu corporalem tantùm labem &c?* insignis & inhumana imputatio. vide comment. 6. parag. 1. ad confirmationem secundam. *Incredibile*, inquis, p. 28. *Christum* Matt. 5, 32. *ad Pharisaicorum errorum emendationem pravissima consuetudinis regulam adhibuisse*, id vis, si loco illo *Matt.* 5, 32. exponitur sententia permissionis Mosaicæ, dicendum esse Christum eo loco pravissimæ consuetudinis regulam ad emendationem errorum Pharisaicorum adhibuisse: sicq; hanc sententiam absurdissimam *Howsono* affingis. vbi, Primum quidem principium petis turpitèr, dum pro confesso sumis permissionem Mosaicam nihil esse nisi recitationem pravissimæ consuetudinis. Deinde ex hac falsissima propositione, *Howsono* què fallò imputas, quasi dixisset Christũ ex regula pravissimæ consuetudinis corrigere errores Pharisaicos. *P.* 35. lin. vlt. *absurdis* inquis, *coactis illorum hominũ sententijs qui ante te hunc locũ explicarunt, &c?* His verbis cum ex tuâ ipsius regula, vbi contra *D. Gentilem* agis de inscrip-

scriptionis vinculo, indefinita, nisi vniversaliter intelligenda sunt, fucosa, fallacia, captiosa sint: ita certè loqueris, ac si *Howsonus* omnes ante seipsum interpretes, aut saltem omnes quos ipse enumerat, ita absurditatis condemnasset, vt seipsum ijs omnibus anteponeret: iniqua certè & invidiosa imputatio. *P.*37.52.53. ita loqueris, ac si *Howsonus* nullũ adulterium pro licitâ ex permissione Mosaica divortij causâ agnovisset, nisi quod maritus oculis suis ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendisset: cum tamen suprà dixeras p.7. lin. ante pen. ab eo in causis divortij agnosci ea quæ ad adulterium nullo modo accederent: vtroq; scilicet extremo falsitatis, calũniari videris: & mediæ sententiæ *Howsonianæ* quæ commẽt. 5. parag. 3. circa medium exposita est, iniuriam facere. *P* 42. *sacrificium*, cum *Howsonianus* liber habeat *sacrificia*, non levi iniuriâ ex eo recitas, indeq; duos gravissimos errores ei imputas: vt comment. 6. parag. 4. non longè a fine pluribus dicitur. *De* bello remedio quod *Howsonum* excogitasse p. 45. mirificè somnias, quantam ei, & tibi ipsi iniuriã feceris, vide comment. 5. parag. 7. *P.*42. lin. 2. de astuta reticentia, id est de mala fide *Howsonum* accusas: quam id frivolè, vide commentat. 6. paulo ante medium. *Ius Canonicum & Civile* (inquis p. 51) *circa matrimonij indivisibilitatem quam sint repugnantia, Burgensis docuisset, qui eã iuris Canonici esse ait, negat esse Civilis.* Quasi vero cum in vno aliquo penè minimo omnium ad hanc rem pertinentium, cõcordiam juris Canonici & Civilis asserit *Howsonus*, statim in re totâ aut præcipuâ, similem concordiam asseruisset. *P.*53. lin. 22. fingis ex *Howsoniana* sententia sequi, vt ludęis pro libitu liceret (id est, vt candidiùs interpreter, nullâ pœnâ, aut cohibitione externâ prohiberetur) vxores superiores dimittere, & novas arcessere: quam hoc eius sententię falsò imputetur, vide comment. 5. parag. 12. post medium. *In* disputatione de jure Civili tria D. *Gẽtilis* falsò imputasti evidenter. *Vnum*, quasi voluisset nullum esse jus vetus, nisi quod fuerit ante legem Regiam: *Alterum*, quasi voluerit *Scævolam* illum de quo loquitur, fuisse non *Cerbidium* illum,

ſed vnum ex antiquis *Mutijs*. *Tertium* quaſi illud de remiſſo inſcriptionis vinculo non ante *Conſtantinũ* invaluiſſe voluerit: vide comment. 5. parag. 11. *Nè tum* quidem cum D. *Dnum* vellicas, hoc genere iniuriæ calamum abſtines; ne ſcilicet tua illa exclamatio, (*ô tempora, ô mores*) in materia nimis fr gida, quaſi Deus eſſet in comędia. Septem caſus, inquit D, ille, in quibus, ne aſſentiente quidē magiſtratu divortium jure fieri poterit. Hoc tu p. 57. ita interpretaris, ac ſi in his omnibus caſibus adulteram impunitam eſſe voluerit. Scopus enim loci, quaſi per nos id ageretur, vt quam poteſt impunitiſſimè ſcortentur: & ſic ſonant tua verba indefinita, id eſt, ſecundum tuam regulam, vniverſalia; quaſi nullam auctoritatem ſuam in his caſibus interponere magiſtratus potuiſſet. *Revertenti*, inquit ille, *ignoſcendum, quia Chriſtus dicit*, ſi ſeptuagies, &c. hinc tu, quaſi voluiſſet ignoſci ei quæ ſeptuagies ſepties in die mœchata fuiſſet. *Addis* illos omnes caſus, ex quibus duos tātùm (vt opinor) quaſi maximè improbabiles recitas, ex Sanctulis Romanæ Eccleſiæ doctoribus à D. *Dovo* delibatos. Hoc quoq; proculdubio ad invidiam, quaſi auctoribus papiſticis plus æquo tribueret. Sed, vt alios taceam, audi *Sohnium* ex purioribus Proteſtantium fontibus planè ſimilia aſſerentem, theſi 41. de repudijs. Vbi & eos ipſos caſus, quos tu ſolos nominas, cum alijs complectitur. *Divortium*, inquit, *in cauſa adulterij in quibuſdam caſibus non videtur concedendum: vt ſi is qui dimiſſionem cupit, eiuſdem criminis reus eſt; ſi poſtquam de conjugis adulterio cognovit, cum ea rurſus conſuevit; ſi maritus vxorem ipſe proſtituit, aut ſi excluſione nocturnâ, malitioſâ deſertione, aut aliâ ratione peccandi occaſionem præbuit.* Vides quam temerè ad invidiam dixeris omnes illos caſus ex Romanis illis Sanctulis delibatos. Ex alijs auctoribus perpauca habes: vix enim vnquam exijt liber omni auctorum mentione nudior. Sed in manuſcripto ad *D. Gentilem* verba Homiliæ Anglicanæ profers, quæ tamen ibidem duplicitèr corrumpis. *Primùm*, dum quod in Anglicano eſt a ſufferance, id eſt toleratio, tu *permiſſionem* reddis: *Deinde*, dū reticen-

centiâ longè alià & audaciore, & astutiore quam illa cuius *D. Howsonum*, nescio quid cogitans p. 42. lin. 2. accusas, pro eo quod in Anglicano dicitur, they bled a long sufferance by custome to put away their wiues for every cause: Id est, tolerratio diuturna apud eos per cõsuetudinem invaluit, vt vxores quavis de causa dimitterent: tu illud *per consuetudinẽ*, vt quod omnia quæ hinc colligeres subverteret, suppressisti penitùs. Ais enim eam homiliam docere, Iudæos permissionem antiquam in vsu habuisse, vt vxores quavis de causa dimitterent. Vbi & quod *antiquã* dicis, vix satis fideliter reddis: differt enim *diuturnitas* ab *antiquitate*. Sed de hoc loco vide comment. 5. parag. 1. remotiùs a fine.

Ineptiarum (licebit enim vti hoc nomine fortè duriore, cum tu eiusdem ad *D. Howsonum* ita passim prodigus fueris) numerus apud te penè innumerus. *Sed* hic tantùm de ijs quas extra causæ necessitatem adamasti, nec de ijs tamẽ omnibus: quædam generatim accipe. *Vnum* genus huius vitij confidentia quædam penè militis glorioſi. Exempla sunt. *Tenue mendacium perlucet*. *Qui* Hebræam linguam vel primoribus labris attigerunt. *Vel* tironibus in linguâ Hebræa. *Qui* Biblia græca vel tantillùm versarit: *Ista* tua nõ tam refutatione egent, quã institutione, quod meram sermonis Hebraici inscientiam prodere videntur. *O* miserabilem differendi rationem: quam toto erraris cælo docebo. *Dico*, edico, adulterium hac phrasi significari ne tum quidẽ probaturum te, cum volitent pisces, & maria vites ferant. *Apagesis* cum tuo cornuto argumento: *Facessant* illa tua de duplici responsione. *Illa* quam tu fingis inepta est: Ἀργὸς λόγος: Meræ nugæ: Hæc omnia frivola sunt. *Atqui* hic nodus (quem *Augustinus* dicit difficilem expeditu) facillimus est. *Quis* non miretur audaciamne tuam, an inconsiderantiã dicã &c? Hęc habes & alia huiusmodi quã plurima ad *Howsonum* scribens, Similia ad *Gentilem*. *Ostentantia*, inquis, in iuris-perito non ferenda. *Vanum* & iniquum est. *Lepida* interpretatio legem abrogatam interpretari, & feriato homine otiosis diebus digna. *Quis* sani

Ineptæ confidentiæ.

capitis aut mentis compos hoc faceret? Hæc habes, & quid non? *In* ipso huius Epistolæ initio, quæ intellexi, inquis, inania & levia esse intellexi, idemq; suspicor de ijs quæ nō intellexi. Vbi etiam modestissimum *Socratis* philosophi dictū, huic tuo, ex adverso ad tuam illustrandam immodestiam, opponere non es veritus. *Appendix* ad hoc genus ineptiæ, indignissimus ille & tibi familiarissimus in hyperbolis tumor, & abundantia. *Quis* tam rationis expers, inquis, p. 24. qui (nisi scilicet Christus agnoscat Mosem locutum de divortijs quavis de causa) non fateatur Christum οὐδὲν πρὸς ὄντος, & planè ἀπροσδιόνυσα respondisse? *Tale* & quod p. 37. pro eodem sumis adulteræ reconciliari, aut post dimissionem alteram non ducere, & hoc flagitium in vxore ferre, favere, palliare, & tantùm non lenones agere. Quia enim non est duritas ista non facere, ideo etsi illam non admittamus, nullam duritatem esse vis. *Aliud* huius generis notavi commment. 6. parag. 4. sub finem. Sed infinita omitti necesse est.

Otiosa in sententijs. *Aliud* ineptiæ genus in otiosis tum verbis, tum sententijs. *Vide* ipsum post præfationem principium disputationis, invenies novem primas lineas planè expletivas esse. *Quorsum* quæso p. 8. Mosem ais vti verbis mœchandi, adulterandi, scortandi, etsi non ita sæpe, verbo fornicandi? An etiam in Hebræo quatuor ista distinguuntur? agitur enim de voce Hebraica. *Quorsum* p. 52. locum *Deut.* 22. de marito calumniatore ita multis negas ibi reperiri, quē statim, quantum *Howsoni* proposito planè sufficiat, ibidem agnoscis? *Quorsum* fol. vlt. tam multa de flagitioso libro, qui adulterium apertè defenderet, quem librū *Howsoniano* (cui non alio modo de magnitudine locutus) quintuplo maiorem dicis? *Quorsum* p. 23, inanissima excursio de fabula *Crocodili*, ceterisq; ex *Quintiliano*, *Luciano*, *Ludouico Viue* tan quia *Dominum Raynoldū* decebat in privatis literis ista ad te scribere, ideo homo ἀπεράγελος in medium controversiæ gravissimæ inferenda, & in publicū edenda putasti? *Mitto* plurima. Ad *D. Gentilem* λογομαχία tua est paginis com-

plu-

pluribus: vtrum rescripta Principum post legem regiã rectè a te ius antiquum appellata fuerint, Penitiùs, inquis, responsum *Scævolæ* inspiciamus, & quid cõtra *Constantini* mei rescriptum habeat, perpendamus. Et quomodo quæso hoc responsum inspicis penitiùs, aut quid habeat, perpendis? Primum, ex *Iustiniani*, & *Triboniani*, sociorumq; prudentiâ & diligentiâ, & ex ipsius *Iustiniani* generali testimonio cõijcis, nullam ne hic quidem ἀντινομίαν esse: tum si est vlla, addis potiorem esse auctoritatẽ Codicis: Postremò, vtrum sit necne, doctissimis iuriscoss. relinquis: ita tuum *penitiùs inspicere*, est è longinquissimo conijcere: & *perpendere*, est alijs perpendendum relinquere. *Ad* evndem D. *Gentilem* de loco 1. *Sam.* 20. 30. primo, quasi nusquam appareret nugaris: tandem agnoscis. Quid enim si concordantiæ Latinę, vt quereris, locum non indicant? de Hebræa agitur, non de Latina voce. *Ad* evndem sæpiùs iuras *Herculem* profanũ idolum, otiosè. *De causa levissima* & de *omni causa* ad evndem quam otiosè? Primò confiteris te sentire Mosem locutum & de levissima, & de quacunq; causa. Tum Latinissimum *Gentilẽ*, & dictionis pressissimæ, verbositatis accusas, quod diceret te sentire *Mosem* locutum de *omni vel levissimâ*, quasi otiosè addidisset illud *vel levissimâ*, *cum levissimâ* in *omni* comprehẽdi necesse sit. Nescis vniversalitèr solere enuntiari sæpè, cum exceptio aliqua evidens subintelligitur; ea ne hic subintelligi videretur, additũ illud, *vel levissimâ*. *Pergis* & etsi sentires Mosem de omni causa locutũ, negas tamen hoc dixisse vsquam; & accusas antecessorem, quòd parum grãmaticè (ex eo quod dixeras Mosẽ de causis adulterio levioribus locutum fuisse) collegisset, te eum de levissima causa intellexisse. Falleris: non ex hoc tuo dicto, sed ex verbis tuis expressissimis hoc collegit: quæ verba apud te habentur p. 24, lin, 24. & iterum p, 30, lin, 20. *Sed* hac occasione etiam excurris ad alia gammatica hominis doctissimi & politissimi peccata, quasi a dativo *Howsono*, quo alicubi vtitur, vocativum *Howsóni* formasset. *Sic* suprà in medijs serijs eundem reprehendis, quod assumentum

diceret, voce vt putas parum *Latinâ*. *Similiter Howſono* noſtro vitia typographica *crocodolitum*, & *arrepſerunt* otioſè objicis. *Addis* poſterius iſtud, ſolæciſmum eſſe manifeſtarium. *Putaram* equidem ſolæciſmos non fuiſſe in ſingulis vocibus, ſed in iunctura vocum. *Putaram* & concluſionem potiùs quam minorem propoſitionem dicendā theſim, alitèr quam tibi videtur p. 2. vbi concluſionē dogma, minorem autem propoſitionem theſim dicis. *Putaram* etiam priuſquam paginā tuā ſecundam legerā, principalem ſyllogiſmum non fuiſſe reliquæ diſputationis fundamentum, ſed potiùs reliquâ diſputatione ipſum fundati, & exędificari. *Putaram* quoq; priuſquam paginam tuam 23. legeram, licuiſſe dicere *cum dilemmate quodam, & Crocodilino argumento*, ita vt iſta duo non acciperem pro eodem, ſed in altero *generis*, quod vitioſa & recta comprehenderet: in altero *ſpeciei*, quæ ad vitioſa reſtringeretur, notionem ponerem. *Ad Howſonum* illud, *inhoneſtè eam vitiaverat*, quî, inquis, poterat eam honeſtè vitiare? Roga & *Euochum* ab *Adamo* ſeptimum, cur Iudæ 15. diceret, *impios impietatem impiè patraſſe*, & quî potuiſſent piè patraſſe impietatem? Sed *ſuperinducere*, inquis, non eſt in nuptijs alterius poſt ejectam priorem vt ſit in divortijs, ſed cum ad priorem retentam altera aſſumitur. At nonne quæſo ſecūdum *Howſonū* in divortijs prior ſemper remanet vera & legitima vxor? aſſumitur ergo ad eam ſecundùm *Howſonum* altera. Imò quid eſt *ſuper*, niſi *prater*, aut *inducere* niſi *in domum ducere*, ergo qui præter priorem aliam ducit, ſuper inducit.

Sed num tu tamen ipſe aliàs ab huiuſmodi nævis liber, quod ita eos in alijs liberè incuſas? *Non* obijcio tuum illud *ſubſiſtiſſet*, p. 34. nec alia quæ fortè a Typographo erant. *Recteuè* illa, *quia rogaveris*, & *quia habuerim* pro indicativis p. 21? *Aut* illud p. 3. *dormitare nos in eo regendo quod omnino præterimus*? Sic enim vis *Howſonum* in maiore ſua cōfirmanda *dormitaſſe*, & *tamen eandem prorſus derelictam habuiſſe*. *Cur* quæſo ablativum gradus comparativi ferè ſem-

per

per cum dativo confundis, *laboriosiori, vtiliori, maiori, priori, posteriori, subtiliori?* *Cur* σκληροκαρδίαν semper scribis per χ? non enim ita sæpè & obstinatè a tuo exemplari aberrasset typographus. Imò & in manuscripto ad *Gentilem* quod vidi, ita erat. *Quid* verò illud *meretrices sacris interdicere* p. 16? *Aut* illud, *plus æquo es iniuriosus* p. 8. quasi aliqua esset cum æquitate iniuria? *Aut, non cogi ad se inscribendum nisi vellet*, quasi quisquam cogeretur volens? *Quid* illud p. 14. *facta polluere se*, pro factum vt pollueret se? *Aut* p. 32. *repudians* pro eo qui olim vxorem repudiaverat? Non enim credo amantem dices postquam amare desijt. *Citare, allegare loca, & loca repugnantia sibi concordari*, pro reconciliari, phrases sunt potiùs tuæ quam Latinæ. *Nec præiudicatos animos*; sed res præiudicatas, animos autem præoccupatos Latini dixissent.

Paulo gravius quod p. 13. legis ex *Gellio Plautinũ* quoddam, puta, inquis, *scraptea, scrupea, strativola* fuerit. Qui his verbis quid *Plautus* voluerit nõ intelligis, quomodo inter vitia quæ a scortatione aliena sunt, ista enumeras? Certè enim si hæc verba intellexisses, nunquam eadem ita corruptè concepisses. *Strativolam* nec *Nonius* agnoscit, nec *Varro*, qui hęc verba recitant: sed ille *stritabilã*, hic (*a stritãdo*, id est ægre pedibus cõsistẽdo deducens legit) *stritabilã*. *Scrupea* illæ meretrices de quibus eo versu *Plautus*, a nemine qui hunc versum recitat, quẽ vidi, dicuntur, sed ab omnibus *scrupedæ*, quasi pedes earũ *scrupis* vexarentur. *Scraptas* & *scraptias* agnoscit *Festus*, sed *scrapteas* nemo quem vidi: interpretatur autem hanc vocem de meretricibus despicatissimis, in quas ominis causa, ne ex earũ aspectu mali aliquid nobis accideret, exscreari & despui solebat. Similem significatum & *Varro* de lingua Latina lib. 6. innuit, qui *scrantias* legit: & interpretatur quasi *screantias*: vt de & *Festo* eædem *screa* dicuntur. Sed in hoc significatu, hoc saltem loco vbi de meretricibus agitur, si nihil est ad scortationem pertinens, ego certè fallor. *P.* 53. *Quid*, inquis, *differt hoc ab eo quod nos maritum quavis de causa vxorem di-*

mit-

mittere dicimus? His verbis dum *Howsonianæ* interpretationi absurditatem hoc argumento obijcis, cui non videaris dicere illius interpretationem æquè esse absurdam ac tuã: sicq; pro confesso sumere tuam interpretationem absurdissimam esse? Sed ista nullo modo poterit dici tua sententia: nec enim tibi ipsi, nec *Mosi* tantùm detrahis, vt fatearis *tolerationem Mosaicam*, quomodo tu eam interpretaris, absurdissimam fuisse. Divinandum ergo quid velis, quod quantum sit in grammatica flagitium non ignoras: & quid quidem velis, satis exposui commen. 5. parag. 12. sub finem: vt cum quæris, *quid differat interpretatio nostra ab eo quod tu dicis quavis de causa dimissas*, id tantùm quæras, *quid intersit inter interpretationem nostram, qui vnius testimonium sufficere volumus, & eorum sententiam, qui divortium quavis de causa licitum volunt*. In horum numero cum tu non sis, sed hanc sententiam hoc ipso loco habeas pro absurdissimo, quam inepte quid volueris hoc loco exprimatur, ipse credo intelligis: dum illud *ab eo quod nos dicimus*, a te positum est pro, *ab eo de quo etiam nos, sed aliam prorsus in sententiam loquimur*. *Similia* apud te loca alia, vbi divinandum est de sententia tua, notavi comment. 5. parag. 12. sub initium, & iterum sub finem eiusdem paragraphi. *P. 35. Hu*, inquis, *linguarum peritioribus relictis*, quasi scilicet linguarum peritiores, non ipsas res eo loco reliquisses.

Hebrææ linguæ ignorantiam & *D. Howsono, & D. Gentili* sæpiùs & iactantiùs obijcis: quam tamen p. 33. lin. 2. in teipso satis prodis: cum professus locum *Deut.* 24. ad verbum transferre, duo verba *vehaiah*, & *vecathan*, quæ, vt docui comment. 3. parag. 6. & parag. 8. eodem prorsus modo reddẽda proculdubio sunt, alitèr atq; aliter legis: pro priore legens, *Erit*: ex quo (id q̃ pro nobis vt ex prędictis paragraphis apparet, plurimũ faceret) siquitur posterius verbũ legendum *Scribet*, non autem *& scripsit*: tu tamen posterius verbum exprimis per, *& scripsit*. Quod si faciendum esset, certé in priore verbo exprimenda quoq; fuerat copula, & ipsum verbum non per futurum, sed per præteritum exprimendum

mendum fuerat. *Alias* tuas in re Hebraica ignorantias vide notatas de propria ſignificatione *nuditatis*, comment. 5. parag. 2. ex libri tui p. 11. *De* ſignificatione vocis *davar* comment 5 parag. 3. penè per totum paragraphum: item comment 6. parag. 1. ſub initium, ex locis libri tui p. 7. lin. 9. & p. 24. lin. 24. *Item* circa Chaldæum paraphraſtē comment. 5 parag. 1. ex pag. 16. *Et circa* accentus Hebraicos comment. 3. parag. 6. ex libri tui p. 35. lin 5.

Sed, vt ad Latina redeamus, p. 41. vmbra, in quis, eius nō apparet, ſive in Hebræo, ſive in aliquo interprete, Cur hic illud *in aliquo* ponis pro *in vllo* (quemadmodum p. vlt. licere ſine culpa *aliqua*.) *Et ſive* etiam parum Latine pro *neq;*. P. 56. vt effuſæ libidines in omnium domos *commeant* pro commeent, quaſi non a meando, ſed ab eundo eſſet compoſitum. P. 53. Quæ certiſſimo miraculo, & digito divino convincitur, eam leviſſimâ ſuſpicione mariti (quia hinc miraculi occaſio) coargui, & internecioni dari dicis. P. 27. lin. 25. (vt comment. 5. ſub finem notatum eſt) ſi quid ego intelligo, *ſuſſum* dicis pro *prohibito*. P. 31. vt prædicto paragrapho ſub finem notatur, de exceptione obſcurè & parum grāmaticè loqueris. *Aliud* quoq; eiuſdem generis notavi comment. 6 parag. 4. ſub finem: & cōment. 2. parag. 2. poſt medium. Sed bene erat quod *D. Rayvoldum* in hiſce levioribus audires (cuius in maioribus ſanū conſilium respuiſti) alioqui longè plura, vt ex privatis ipſius ad te literis apparet, in iſto genere peccata tua haberemus: & tamen vides non pauca eſſe: vt communi ſaltem, ſi non maiore longè culpâ, cum ijs quos violatarum legum grammaticarum accuſas, tenearis.

Quo magis inepta hæc tua omnis accuſatio videri debet, quæ cum in homine, qui ab omni culpa ſimili immunis eſſet, plerunq; otioſa eſt, tum in te ita huius culpæ reo odioſa eſt. Non enim niſi ipſe exemplum præbuiſſes mihi, putaſſem horum fere quicquam notandum. Sed ex ea lege quam in alijs reprehendendis, in teipſum tuliſti, contra te agi poteſt: & ita tamen vt eandem nobis ipſis legem mini-

mè feramus. Non enim nego quin fieri poterit, vt præ rerum curâ verborum incuriâ a me quoq; peccatum nonnihil fuerit, nec tanti puto vt perquiram: fortè etiam obſcuritate, quod vitium (ſalvâ breuitatis curâ) cavi diligentèr, tamen peccatum aliquid eſt. De ceteris enim ſi exciderunt, non multum refert, modo nec ita breves ſumus, vt obſcuritate, nec ita evoluti vt verboſitate peccemus.

Verboſitas Pyana.

Tu vero vtroq; hoc vitio evidentèr teneris. De obſcuritate ex prædictis intellige. De verboſitate (de qua initio huius loci aliquid dicendum propoſui, cum otioſum non modo in ſententijs, ſed etiam in verbis ineptum ſit) pauca tantùm ex infinitis exempla conſidera. *P.* 58. (vt ab extremo exordiar) ſine peccato, inquis, ſine crimine, ſine culpa aliqua. *Ibidem*, libidine ſtimulari, amori ſtudere, in ſinũ & complexum ruere, conſuetudinem habere venereum. *P.* 53. de eius fama, dignitate, honeſtate, exiſtimatione planè actum. *P.* 45. Quem ſine dubio libentèr admiſſura eſt, ſi ipſi ille ſimilitèr adlubeſcat, id eſt non invita eum admittet, ſi quidem eum libentèr admittet. *P.* 44. Quæ propter animorum offenſiones, odia, diſſidia, diſcordias interveniebant. *Et iterum p.* 45. Hiſtoriæ tam priſcæ quam recenti fidem omnem abrogantis eſſe videtur, & aliorum hominum, civitatum, nationum, gentium, leges, inſtituta, mores, iuraq; omnia abiudicantis & reijcientis. *P.* 37. Qui puri oribus eſt oculis quam vt ſpurcitiem videat, quiq; flagitiũ aut ſcelus aſpicere non poteſt. *P.* 36. Animi feri, ferrei, crudelis, inhumani condemnare. Tædet alia adijcere. *Similiter* & ad *D. Gentilem*, falleris, inquis, ſi huiuſmodi titulis mihi fucum fieri, aut talibus præſtigijs veritatem eripi, puluereq; ob oculos offundi poſſe putas. *Addis nisi potius (quod tanti viri pace dixerim) memoriam tuam hic labaſſe putandum ſit*: quorſum hæc parentheſis ad illud de labatione memoriæ, quæ reprehenſio eſt non gravis, mitigandũ, quæ potius ad illud de *præſtigijs* molliendum adhibenda fuerat? *Initio* huius epiſtolæ ad D. *Gentilem* quam multa congeris ſynonyma, ad id notandum quod ad rem nihil pertinere dicatur

dicatur. Audi locum integrum, & verbositatis tuę paradigma agnosce, vnum pro multis. *Sed antequam*, inquis, *libelli mei, quem tu hoc scripto quantum potes, polles q; impugnas, defensionem necessariam aggrediar, delectus tuorum habendus est, vt quæ extra oleas feruntur, quæq; tu non necessaria, & quæ nihil attinent, veluti* ἐξαμαζόμενος (sic enim puto a te scriptũ quod in meo exemplari est ἐξημαζομένος) *infercis, ab hac disputatione semouentur*: Nondum hoc satis prolixe; addis, *Sunt enim apud te non pauca reuerà ἀπροσδιόνυσα, quæ ad statum cõtroversiæ inter me & D. Howsonum non spectant.* Quatuor aut quinq; verbulis hoc totum comprehendi poterit. Videris sane sylvam aliquam synonymorum compilasse; nec intelligis quanta sit ista in nostro genere didactico verbositatis ineptia, præsertim cum, vt apud te plerumq; contingit, *hyperbolis* inflatur.

Alias ineptias in *ridiculis*, à gravitate Theologi alienis, & in *tergiversationibus*, cum ea quæ præcipua sunt intacta præteris, omitto. De *ineptijs in dispositione disputationis tuæ*, vt minorem refutatoribus laborem in posterum facessas, plura monenda forte essent. *Cur* enim ad *Augustini* auctoritatẽ, quam D. *Howsonus* maioris suæ stabiliendæ gratiâ, initio libri proposuit, tu sub finem loco alienissimo respondes? *Cur* quæ ad argumentum ex *Mat.* 19. pertinebant, in responsione ad testimonium *Abulensis* interseris? *Cur* quæ ex verbis *Christi Mat.* 19. & ex verbis illis *Mosis, postquam factum vt pollueretur*, varia disputas, non, vt à me collecta sunt, potiùs simul vnum in locum colligeres, quam ita sparsim & obitèr proponendo disperderes? *Cur* non & ea quæ eum in finem vrges, quasi thesis *Howsoniana* adulterijs faveret (prout hæc quoq; à me collecta sunt) vnum in locum conijceres? *Cur* non obiectiones tuas ἐλεγκτικὰς, seu, vt vocas κατασκευαστικὰς, à responsionibus ad argumenta *Howsoniana* (prout à me non sine aliquo labore quẽ tua mihi negligentia imposuit, factum est) seorsim distingueres? *Cur* nõ responsiones tuas ad rationes *Howsonianas* arctiùs, & expressiùs applicares? Non enim quivis, nisi fallor, omnia resDispositio disputationis Pyanæ.

ponsionis tuæ aut ad locum *Mat.* 5. aut ad locum *Mat.* 19. (vt alia taceam) momenta, quæ à me fidelitèr & perspicuè exposita sunt, sine molestia & difficultate observasset. *Cur* deniq; vt ἀπροσδιόνυσα reijcis ea quæ contra obiectiones, aut responsiones tuas à D. *Gentili* directissimâ oppositione asseruntur? Nihilne tu putas posse ad thesim dici præter ipsam thesim?

Hæc fuerunt & alia, quæ dixi, extra causæ necessitatem peccata tua ἐπίθετα & assititia. Sic enim solemus ex omnibus animalibus homines, maximè non contenti esse malis necessarijs, nisi alia nobis conquiramus & cōportemus vndiq;. Adeo vt asinum suum nobis omnibus, & tibi quoq;, qui ex hoc *omnium* numero minimè omniū es excludendus, Comicus nescio quis apud *Menandrum* hoc nomine prętulerit, τὸν ὄνον, inquit, ὁρᾶτε πρῶτα τουτονὶ: οὗτος κακοδαίμων ἐστὶν ὁμολογουμένως: vide cetera si vis. Et in posterum, si quis consilio locus, si fortè vnus & alter applaudit, tu statim tecum mussita illud vafri *Epicharmi*, μέμνησ' ἀπιστεῖν: & simile alterius *Siculi*, ἐγὼ δὲ τὶς ἐ ταχυπειθὴς. Sed de teipso quicquid statueris, id spero mecum orabis Deum Opt. Max. vt in publicum Ecclesiæ bonum ista omnia dirigat. Illi sit in perpetuum gloria, & veritati victoria, & errori resipiscentia, & Ecclesiæ pax, & misericordia omnibus.

FINIS.

Ad Lectorem.

CVm liber D. *Pyi* iamdudum excusus fuerit, & manuscripta eius ad *D. Gentilem* inter amicos & familiares, vt accepimus, dispersa fuerint, nos hoc volumen istis onerare nolumus: maximè tamen consentaneum ducimus, manuscriptam *D. Raynoldi* Epistolam ad *D. Pyum* hìc adiungere, sub cuius censurâ & approbatione D. *Pyus* librum suũ edidit, & cuius Epistolæ hoc in libro tam crebra fit mentio: Id autem potissimùm facimus, quòd & D. *Raynoldus*, & *D. Pyus* nullum se huius exemplar habere profitẽtes, ex illius lectione, id quod lectores etiam facilè perspiciant, nullam illis iniuriam illatam esse intelligant. Exit autem Anglico sermone, quo scripta fuit, ne forsan, aliquâ vel fidelissimæ translationi exceptione habitâ, Auctor ipse sub alieno vultu prolem suam non agnosceret.

To Maſter Doctor Pye.

Immanuell.

SIR, your learned treatiſe, as I like very well, ſo doe I wiſh publiſhed, for the defence of the truth, & credit of our Vniverſitie. But my L. of Canterburie, whoſe Gr: you meane to moue about the publiſhing of it, when I did the like for mine by a letter, concluding with thoſe words of *Oroſius* to S. *Auſten*, *Tibi adiudicanda, ſi edas; per te iudicata ſi deleas*; though he gaue me thankes for my copie and kept it, yet anſwered, he thought it not meete to be printed: as containing dangerous doctrine, and breeding ſundry inconveniences, if any, weary of wife or huſband, might, by committing adulterie, procure freedome and libertie of marying whom they liſt. Wherefore [a] ſince that time, this anſwere having greater force by decree of Synode, wherein, vpon ſeparation *à menſa & toro* only grãted, each party is willed to liue chaſt, & forbidden to marry againe while the other liveth, I wiſh you to adviſe whither it were not beſt for you to blot out that which [b] you write ſo kindly in approving of my work, if you deſire your own allowed to the print. And otherwiſe too in the former place, peradventure, ſith you write in Latin now, & mine is in Engliſh, it were more convenient your ſelfe did bring ſuch proofes as you like of mine for cleering of Saint *Pauls* meaning in that text, without mentioning me. As in the later alſo, to anſwere your adverſaries reaſon of diſcommodities, and Tragedies which ſecond marriage rayſeth, by no farder entring then himſelfe inforceth you, nor taking in the offenſiue queſtion (into yours ſomewhat differing) more then needes you muſt. Howbeit if your goodwil, or any other reaſon induce you, who may thinke he aimed principally at the diſgrace of my Treatiſe, to grace it of the other ſide with your friendly teſtimony: what if you did it rather with a marginall note alone in one of the places; de-

[a] Anno Dom. 1597. Capitula, ſiue conſtitutiones Eccleſiaſt. &c. per regiam maieſtatem confirmatę, & vtriq; provinciæ, vt diligentiùs obſervẽtur, ſub magno ſigillo Angliæ promulgatæ, p. 9. cap. de ſententijs diuortij non temerè ferendis.

[b] Pag. 36. & 48.

declaring too, that mine is in Engliſh, though againſt *Bellarmine*, leaſt ſome ſtrangers, reading your booke, doe ſeeke in vaine for mine *de diuortijs*.

Now for the ſame cauſe, ſith you deale with our Vicechancelor & [c] ſay, you doe it *non publicè, ne pax Eccleſiæ violetur, ſed privatim tantũmodo*: is not the frame of your whole firſt ſentence to be altered, refuting elſe your ſelfe who would haue the thinge publiſhed? and were it not likelie you ſhould get ſooner approbation, if in the next ſentẽce thoſe * ſharpe words, *inſolens & inſulſum dogma ex eius capite* were tempered? Though why *caput* alſo, that agreeing rather to our Chancellour? nor he beeing Vicechancellour when it was printed firſt? At leaſt if *non publicè, ſed privatim* may ſtand well, becauſe of your firſt intent, ſignified in the words following; and that you would never haue wiſhed yours to be publiſhed, if he vpon ſight thereof woulde *retractare* his owne, and acknowledge his error: yet the firſt ſentence perhaps a little changed would bee more perſpicuous; you (as I gheſſe) having ſtrived to follow now the frame of your Engliſh in it; as, for example, in ſome ſuch ſort; *Quia tam ingenuè profiteris & prate fers-te, ſi extiterit aliquis, qui vel privatim vel publicè alacriter-erroritu o valedicturum: idcirco-labefactabo, &c.*

[d] Afterward, through the fault belike of your amanuẽſis, (as many others there are, which your own letters to me imply you obſerved, & therfore I, though wiſhing it, for publike good, free from all exception, neede not note them) your ſentence ſeemeth to me vnperfitt, *Ergo divortium Moſaicum non fuit ſublatum per adventum Chriſti, cum tu ne per mortem Chriſti ſublatum toties nobis inculcas?*

Likwiſe your amanuenſis, I thinke by overſight, [e] hath, in ſetting down *D. Howſons* words, put in, *aut carnalẽ*, where he ſaith only *corporalem*, (though all one in ſubſtance) and your reply repeateth *corporalem* only.

Who whether he haue not ſemblably written [f] *conſodalis*, for *ſodalis*, I knowe not: ſith it ſeemeth to haue beene, in this copie you ſent me, written firſt *ſodalis*: and that I take

[c] Pag. 1.

* As alſo pag. 12. Quæ improbitas hæc, & impudens intemperãtia? The rather this, to his perſon, (for inſolens & inſulſũ may ſeeme a iuſt note of the error, the thing erred in not the man erring) becauſe you doe with kindnes excuſe him pag. 7. ſub finem, & other where terme him veterem amicum: pag. 45. ſub finem.

[d] Pag. 3. ſub finem.

[e] Pag. 6.

[f] Pag. 9. ſub principium.

to

to be Latinius then *con* (otherwise needlesse) added, I gheſſe your copie had it, *Tale eſt & ſodalis tui*, & he * miſtaking &, or &, made it *con*. Where, by the way, you ſeeme to ſpare that *ſodalis*, in ſaying, *Hoc tam ille eſt conſequens* (though I ſee your reaſon *in modo, &c.*) it being in rigor *multo minus*, ſith his doth inferre a falſhood out of a truth, and your example inferreth one truth of an other; if yet there want not ſometimes a ſtaffe in a corner to beate away dogs: which if there doe, it inferreth a truth of a falſhood: to greater ſparing of him.

* As pag. 11. lin. 4. he hath writen Deut. for Gen. and a little after, tãtæ curæ for tanta cura, it ſeemeth: or de prole for proles. de tyrone video tibi curæ eſſe. Cic. ad Attic. 240.

In the ſame page, theſe worder, *polluta ſcilicet adulterio, (quod id verbi ſignificat apud Moſem, vt cernere licet* Num. 5. 13. 14.) brought to my minde that you had writen § before *vt ne vix quidem apud Moſem aliud verbum pro illo ſtigmate poſitum reperias*. Which ſpeech of yours oppoſed to his, *Hoc peccatũ πορνείας explicat Moſes per verba pollutionis &c*, may giue you cauſe to conſider whither, *vt vix* ſufficéd not, & *ne vix quidem* muſt be blotted out, even by force of your ſpeech here, *polluta id ſignificat apud Moſem.* Ἄσχημον πρᾶγμα (*ſic enim a te ſcriptum puto, non* ἄσχιμον *quod Typographus &c.* This parentheſis I wiſh wholly blotted out. For whatſoever cauſed it ſo to ſcape in your copie, ſure mine (of the ſeeond edition) readeth ἄσχημον. Likewiſe mine hath the numbers of chapter and verſe as ‖ you reade them: whẽ you adde (*ita enim hos numeros reſtituendos.*) And I wiſh there likewiſe, wheras you ſay, *Apoſtolum Paulum hoc verbo nunquam vti*, you correct it, ſith you adde ſtraight, that he vſeth ἀσχήμων, whereof ἄσχημον is the neuter, that is the ſame woord indeed. As alſo, that you remitt to him the petie-advantage of *coniugata* (or as you terme them, ὁμοιώματα) not allwayes being *ſignificatione*, but ſomtimes *voce* only ayed: ſith you haue ſo great advantage, as you ſhew ſtraight, with his owne ground againſt him, even putting *μων, -μονεῖν, -μοσύνη*, to be good maches ſtill wherein, out of your former * you may well adde in ſteed of, or together with *Plato*, the Septuagint *Deut*, 23. *v*, 14. ἀσχημοσύνη πράγματος. & *v*. 13, (the next before in the ſame chapter,)

§ Pag. 7.

§ Pag. 13.

‖ Pag. 14.

* Pag. 15.

ἀσχη-

ἀσχημοσύνην vsed to note an other thinge.

Doe you not meane ironicè, *Videris magno studio conquisivisse &c*, which every cōcordance might direct him to? And would not the speech be framed then to make it better appeare? though *equidem* may be as *Bezas sanè Mar.* 7.9. enough. [1] pag. 16.

[m] *Primò quid verbi est Crocodilinum*, you will perceaue must be blotted out by that of [n] *Quintilian, exquisitas ambiguitates: non quia ceratina aut crocodilina possint facere sapientem, sed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli.* Howbeit even this also, *ceratina aut Crocodilina*, by a disiunctiue, as diverse, discloseth an oversight of his, who saying, *dilemmate & Crocodilino argumento*, conioyneth them as all one. For, that is a sophisme, which Rhetoricians & Logicians so name vpon a tale devised of a Crocodile; which hauing taken away a womans sonne in Ægypt, should say vnto his mother; *Vtrum reddam tibi filium, an non reddam? Dic verum: aliequi non recipies. Si dicis redditurū, retinebo, quia es mentitus. Si non redditurum, retinebo, vt sit verum: nam si redderem, esset falsum; & ita essem nihilo minus retenturus.* But *cornutum argumētum, vnde dilemma*, is such as our Saviour somtime vseth, and therfore a sound kind of reasoning, and not Sophisticall. Which difference betweene them, *Vives* well discovereth, amongst his workes *de disciplinis, in libro posteriore de censurâ veri & falsi*: in the beginning wherof, the conclusiō of his tract *de argumentatione*, after *Enthymema, Inductio &c*, hath *Dilemma est argumentum cornutū*, in the end after his Treatise *de syllogismo, Restant captiones Pseudomenorum* &c. *Crocodilina interrogationi nihil potest responderi: & ad illam nihil potest aliter verius dicere, aut aptius, quam se nescire*: wheras before he had shewed, that *Dilemma* is dissolved by *antistrophon*. [n] Pag. 19. Orator. instit. lib. 1. cap. 16.

[o] *In huius sententiam, tanquam pedarij Senatoris, vel pedibus iri oportet.* Were it not better, tanquam *Principis Senatus*, cōsidering you meane Christ? For *Pedarij Senatores* were the basest, and of least autoritie, as *Gellius* sheweth *lib.* 3. *c.* 18. Nay, were not even *princeps Senatus* here too weake? sith o- [o] pag. eād.

 thes

ther Senators might dissent from him, from Christ we may not.

[p] pag. 22. [p] *Ut de eo vnum ad idem sentiunt omnes fere & veteres & novi interpretes.* These wordes repeated as *D. Howsons* are not sett downe as my printed copie hath them: which readeth, *vt de eo idem sentiunt ad vnum omnes* &c. Now his words though placed *paulo perturbatius*, are the same with Tullies in Lælius. *De amicitia omnes ad vnum idem sentiunt Omnes ad vnum*, All, none excepted. Wherfore that you adde of *absonum, inauditum, vnum ad idem* would be mended: or peradventure rather left out altogether, & his words recited, as at least the later and better edition hath them. Chiefly, sith you endevour (as reasō would in charitie) to be so fare from disgracing & carping him vniustly, that you passe over a thinge you might iustly note. I meane his giuing Origē the title of Saint[q] Sāctus Origēes, whō he might haue learned of [r] Bellarmine (a man whome he followeth too much in a branch of this question) to haue bene condēned by the Church for a cursed heretike.

[p] Which kinde of faults if you passe ouer & winck at, you shall doe better, I think, and sutably to your self, who pag. 38. say κατὰ πάσαν αἰτίαν, though citing him who misreadeth διὰ πάσης αἰτίας.

[q] p. 16. lin. 1

[r] De purgat. l. 2. cap. 8. para. septimum.

[s] pag. 22.

The rather are you to weighe whether it be too sharpe, *à quâ* [θεομαχίας *contumelia*] *certe non multum abesse fortassis videberis* (howsoever your *certe* be alayed with *fortassis*, & *videberis* both) that you note out of his pag 18. & 20. briging for disproofe therof that the words, *Oculum pro oculo, Dentem pro dente*, are in the lawe; wheras he himselfe doth say the same in the later place, even citing *Deut.* 19. His defect therfore was in his kinde of speech, or what fault should I terme it? that meaning only (as he expoūdeth himselfe pag. 20. lin. vlt.) they mistooke the sense of the letter of the law, yet p. 18. he saith *& a litera & proinde a sensu*. Though with an other kinde of enterfeiting and gashing himselfe he saith pa. 20. also *quum in ipsa legis litera, & NATVRA nihil esset minus*, which his wordes (*& natura*) you citing the rest doe leaue out: wheras he in them seemeth to haue phansied a κρησφύγετον, if any should reproue that of his *de litera*, wherin otherwise the wordes, examined to the quick, doo crosse absurdly on an nother: saying

p. 18

p.18. & a *litera*-and shewing yet pag 20. *non a litera, sed a sensu*, which I see not in the world what shew of shelter he cā haue for, vnlesse perhaps he say, [a]that by *litera* meāt *literalis sensus*, against the truth and substance the *NATVRE* wherof the Phariseis, though *externum corticem* & coolour *literæ* they had for them.

[a] Locus iste videtur imperfectus, sed ita se habet in exemplari.

[1] *Pauli de sancta Maria*: though these words printed in a severall Character, will be plaine enough to such as knowe *Burgensis* was *ex oppido* S. *Maria*, what you meane therby: yet sith to a simpler reader, *Pauli de sancta Maria sentētia* will sound, Pauls sentence touching S. Marie, were it not better to say *Burgensis*, or by a marginall note to open that de *sancta Maria*?

[1] pag. 26

[2] *Arrepserūt*, a notorius solœcisme indeed, if he so wrote, & not *sumpserunt*, copying out, as it were, S. Austins words, whose that is, which yet, if the Cōpositour should so misse in, & the Correctour oversee it too, were strange.

[2] pag. 31.

[3] *Non patri allata, vt tu scribis, sed in vulgus sparsa. In vulgus sparsa* is plaine by the 14. verse, but might not the same afterwrade, on occasion therof, be said to the father also: sith it followeth ver. 17. *Dicit, non inveni filiam tuam virginem*. As for the worde, *populū*, omitted a little after, in citing *D. Howsons*, you reading, *apud suum*, for *apud populum suum*, had it not hindred me in reading, I would not haue mentioned: sith the last clause of your letter, mentioning hast and blotts, implieth you would haue care of correcting. which in his text is more needful, least purposely it seeme depraued.

[3] pag. 34

[4] *illum Regulum &c.* The worde there wanting, and your quotation A.D. looke well too. In the third volume of Navigations, where Sir walter Raleghs viage to Guiana is registred, penned by himselfe, I remember not I haue read, nor can now light on that you mentiō: albeit* pag. 660, *their polygamies are spokē of: ¶ all many wiues ¶ & the Lords fiuefold.

[4] pag. [illegible]

[5] *Qui leges Cæsareas quasi per transennam prætereuntes strictim &c.* you may haue out of the law, you quote enough to make it probable that by Moses his law a man might im-

[5] pag. [illegible]

pure charge his wife on ſuſpicion. But otherwiſe ere you ſuffer your whole place to paſſe, as now you haue penned it, perуſe, I pray, *Iuſtinians Novell.* conſtitutions, correcting or ſupplying ſundry things in the *Code*, & ſtanding (as the later laws are wont) in force. Novell. 117. cap. 8. & 9. cap. 8. where he ſaith, *oportet virum prius inſcribere mulierem*; compared with cap. 9 where he addeth theron, *ſi vir de adulterio inſcripſerit vxorem, & adulterium non probaverit, licet mulieri pro hac cauſa repudiare virum.*

And vnleſſe your copie differ much from mine (the
[a] pag. ead. pages wherof agree al with your quotations, ſo that I think they differ not: you muſt blott out that you [a] adde, *Quam parum in iurisprudentia* &c. For his words are, *Hoc ſuas habet vires in iure civili*, (which he ſaith & explaneth in the words following, but quoteth no place for proofe) *& iure Canonico*, which hauing ſaid, for proofe therof he quoteth that title *quarti Decretalium.* Which al being therfore in any caſe to be razed out: I need not tell you that otherwiſe too (lin. vlt.) in the words *Burgenſis* [*] *matrimonium iuris Canonici eſſe ait*, it would be, [*] *matrimonij indiviſibilitatem.*

[b] pag. 44. [b] *Ianſenij hominis ieſuitæ.* He was no Ieſuit, but a Biſhop,
[c] pag. 45. ſo that, *Pontificij*, or the like you may ſay, if you liſt.

[c] *Pagina proxima ipſe ſatis &c.* Moſt true and ſound, that you note: vnleſſe his meaning of that cauſe, *ob duritiam cordis*, extend to putting away & marrying an other. Which he will of liklyhood ſay his meaning was. The more needfull it is, you conſider well before, whether indeede his writen diſcourſe imply not ſo much, & therfore he be free from this reprehenſion: as meaning & maintaining in his two poſitiõs, 1. that Chriſts cõming tooke away Moſes law of dimitting a wife & marrying an other, 2. but not of dimiſſing without remarrying. Which your ſelfe obſeruing, &
[d] pag. 46. granting that he meaneth, but vrging that he cannot ſay ſo with reaſon &c. Yet therby acknowledg, he doth not ſo croſſe him ſelfe, as that out of his owne words you may thus preſſe him well. I meane in his owne conceit: that you adde out of Chriſts words, *Moſes permiſit dimitt. ob dur. cord.*

is

is stronge against him.

[e] *Cum homine Ethnico exclamare, Lex Iulia cur dormis?* if you meane *Iuvenal* who was *homo Ethnicus*, (as I ghesse you doe, in his *Satyra* 2.) what if you sett downe rather his own very words, (sith, chiefly those you cite, could not so stand in his Satyre, his hexameter verses) *Vbi nunc lex Iulia? dormis?* And in that, you conclude with, I like well your not quoting or setting downe in the margent the title of that vilanous abominable booke (almost like Casas mentioned in the apologie of our Church) what title it hath, who wrot it, where it was printed &c, though for mine owne satisfaction, and to be armed better to your defense (if yours be printed) least any thinke a thing so vnlikly, absurd at least, to be vntrue, I pray at your best leasure, & next opportunitie of writing hither, send me word therof what you think good.

[e] Pag. 50.

Some other wordes, or phrases, or pety thinges, of no weight, yet noteing by the way, I thought good to put into your viewe also: whether they were missed in by the copying out, (which I doubt not of some,) or purposely vsed by your selfe, either ἀρχαΐζων, or neglecting minutias. [f] *Septuagesies*, for *septuagies*: [g] *Immorigeratio*, [h] *affiguratio*, words I remēber not I haue read: [i] *abs viro*, where others rather were accustomed to say *à viro*; [k] *dignasse*, wher likewise *dignatus esse*: [l] *demolitis*, passiuely, as sometimes deponents are vsed in participles of that tense: [m] *in sacerdotis ade*, where others rather say, *adibus*: [n] *dum*, signifying while, with a subiunctiue *pareas, insistas*, where the Indicatiue seemeth more vsuall, *pares, insistis*: [o] *cui nunquā abrogatū*, meāt you not *obrogatum*? though if you wrote otherwise, you might with good reason; a datiue, being vsed with *abrogare* also: & I might haue let all these passe, with much of the rest, but that I was desirous you should know howe kindly I take your kinde letters, and the imparting your treatise in this sort to me, whereof I presume I may bee as bold with you therein, as if it were mine owne. So that I dare tell you too, that whereas you write, [p] *quod opinioni tuæ aut adverse-*

[f] pag. 49.
[g] pag. 21.
[h] pag. 42.
[i] pag. 12.
[k] Ibid.
[l] Pag. 31.
[m] Pag 13.
[n] Pag 30.
[o] Pag. 23.
[p] Pag. eād.

tur impensius, aut labefactet apertius, I (because *labefactet* is thus ioyned with the datiue too) would rather change it a litle, *quod opinioni tua aduersetur impensius, aut eam apertius labefactet*. As in a parenthesis likewise, where your copie doubteth it, one inclosed in an other, (*a quibusdam (vt audio) iudicatur*) my selfe would vse a double comma rather for one, (*-quibusdam, vt audio, iudicatur*). Howbeit, if you thinke none of these worth the touching, or correcting any way: I see in many of them, as I haue partly signified in some by the way, nay when I haue not signified too, as *dignasse* (I doubt not) is a latine word, when *dignatus* a passiue, though *dignor* more vsual a deponent, but I see in many of them, you may leaue them, as they are with iust cause; & I shal think so of others too, if you leaue them, sith why not *affiguratio*, as well as *configuratio*? and *immorigeratio* hath ground of analogie.

To cõclude at length my tedious troubling of you, this, which I haue writen, I nether haue any copie of, or of any part therof, (you may ghesse by sundry blotts, perhaps other escapes too, it was the first draught,) nor haue imparted it to any body, or would. Desiering you also, when you haue perused it, & vsed it so farre as you thinke good for your purpose, to abolish it afterward. Vnto Mr. ---, sith you mẽtioned him, had he bene at home, I could haue bene contented to haue imparted your Treatise, though not these my hasty obseruations on it. Hasty I terme them in respect of imperfections, albeit otherwise time enough spent about them, & your Treatise twice read over to that intent. Thus hartely thanking you for the kinde respect you had to me therin, & chiefly for your zealous, industrious, iudicious defense of Gods truth: I commend you to his gratious mercy & tuition, who blesse and prosper in you the work he hath begũ by you. *At Oxford Februar* 27.

Your very louing frend

IOHN RAINOLDE.

Ad Lectorem.

HVic Epistolæ quam D^s. Raynoldus D^o. Pyo dedit, visum est nobis Epistolam D^i. Gentilis ad D^m. Howsonum adiungere, in quâ D^s. Gentilis de libro Pyano doctè etiam iudicium interponit suum. Vnde facilè intelligatur, quàm discrepantes sint doctissimorum hominũ circa Pyanum tractatum sententiæ. Responsionem autem D^i. Dovi sub hoc titulo scriptam, Doctoris Pyi impium dogma, *cum per se iustum volumen sit, & copiosior quàm vt huic operi, quod sic forsan nimis excresceret, apponatur, in aliud tempus distulimus, donec eam typis mandandi alia sese obtulerit occasio.*

ORNATISS. V. IOHANNI HOWSONO, DOCTORI THEOLOGO DOCTISS. *DOMINO MEO &c.*

Oxonium.

VTINAM Doctor *Pyus* dissoluisset argumentum illud novũ, quod ego ita habeo in disputationibus de nuptijs; *Christus improbat divortium Moysis: Hoc erat tantùm ex causâ adulterij: Ergo divortium ex causâ adulterij improbat*. Vtinam soluisset hoc argumentum, quod me movet valde ad partes minùs probatas mihi, & quibusdam Ecclesijs nostris: etsi easdem probatas magis *Augustino*, & Ecclesiæ olim receptiores. Cæterùm carpit Doctor in argumento tuo enunciatum: & ipsum clarius sanè luce meridianâ, si illa certissima est distinctio Theologorũ de moralibus Legis solùm *vivis*, iudicialibus *mortuis*, ceremonialibus autem *mortiferis*. Nam hoc quod controvertitur de libello repudij, iudiciale esse non dubitetur. Et eorum quidem iudicialium est, quæ non ad solidam perfectionem Deus indomabili populo constituisse dicitur, & a me in primo li-

bro de nuptijs memorantur. His autem veniſſe Chriſtum finiendis quis neget? His iniuſtis repudiationibus finem attulit adventus Chriſti: his iniuſtis polygamijs finem impoſuit. Iniuſtis in lege *perfecta*, iuſtis conceſſis in *imperfecta*. Nimiùm enim effert ſe noſter Doctor, ſi cenſet rem adeo facilem intellectu, num lege Moyſis tantùm tolleraretur, an etiam concederetur divortium, polygamia. In quo variant valde theologi, quidam etiam nec conſtant ſibi. Hos autem excuſat *Martyr* doctiſſimus, quòd in quęſtione vtrinq; probabili nõ vbiq; idem ſenſerint, & docuerint. Et *Iohannes Druſius* nunc duplicem excogitat polygamiã: atq; alteram valde multarum, illicitam: alteram pauciorũ vxorum, licitam tradit extitiſſe. Iſta igitur *Chriſtus* non *interpretando*, ſed *abrogando* ſuſtulit: niſi quà Iudæi ſuper & licitum, & conceſſum, laxarunt frena libidinibus; quos dominus *Ieſus* interpres legis bonus adhuc caſtigat. Sic in quæſtione dicimus de altera vxore non ducenda, ſi prior propter adulterium dimiſſa ſit: imò de vxore iſta nõ dimittenda. Tentatus, ſic negat abſciſſe *Chriſtus* ſecundũ legem perfectam, & abrogat legem imperfectam. Mox & interpretatur imperfectam, de qua ſibi obijciebatur, contra laxiſſimam acceptionem Scribarum. Quanquam quid ego dico acceptionẽ Scribarum, qui ponunt ſolùm in quæſtione, ſi liceret ex omni cauſa vxorem dimittere, non tũ adfirmant? Aut quis de omni cauſſa cenſuit, vel leviſſima, niſi Doctor Pyus? Peritiſſimus *Druſius* ſcribit, quemadmodum Ebræi ſapientiores divortium *nunquã probarint præſertim ob leves cauſas*. Ipſa ſanè lex permittit ex cauſa, quia vir in vxore invenerit nuditatem rei. Quæ verba omnem cauſſam nõ ſignificant; vt idem *Druſius* notat, & intelligunt omnes. Ita autem vincimus in capite iſto perſpicuè, quod non ex omni cauſſa liceret lege Moyſis vxorem di-

dimittere. Bone Deus, quis diceret ex omni caula? Et legem Dei, etiam istam *imperfectam*, laxare libidinibus frena magis, quàm lex Romuli fecerit? Hęc causas tres, quatuor probat, quæ omnes & spectant fermè vnam adulterij. Quam vnam adulterij censemus nos licitam lege Moysis. Et hic est controversiæ status nostræ. Et hîc vtinam laborasset Doctor noster, & me suarum, quas extra hoc argumentum magis amo, partium effecisset. Quæ namque alia habet plurima, ea nec sunt admodum ad statũ quæstionis, & singula ferè reprehensionem merentur. Triumphat sibi de te in iure civili: *qui marito accusanti vxorem de adulterio inscriptionis periculum* addidisse videris. Et ita ipse quadratis literis de lege cõtra te rescribit. Mi *Howsoni*, triplex isthic ius est civile: *vetus*, quo inscriptio desiderabatur; & quod vtì tempore, ita institutis propiùs accesserit (fatente etiam *Pyo*) ad Israelitarum similitudinem. Est ius *novum*, quo liberatur maritus non *ab inscriptione*, sed *à vinculo inscriptionis*: & nec à vinculo *omni*, sed, à *quodam*. Est *novissimum* ius, quod meritò dixeris ius civile, quod tenet scilicet: & quod inscriptionem aperté desiderat viri. *Iure mariti qui accusant, calumniæ periculum non evitant*: inquit *Scævola*: & ius *vetus* est. Sed ius novum concedit viro accusationem ex suspicione, & eum liberat ita periculo præsumptæ calumniæ, & in tantum periculo quoq; inscriptionis. Id *veteres retrò principes annuerunt*, non Iurisprudentia vetus. Nũc jus novissimum eccę sic loquitur: Ἐὰν ὁ ἀνὴρ περὶ μοιχείας ἐγγράψηται τὴν γυναῖκα, &c. Consulat ipse iam Pyus suos *Papinianos*, *Scævolas*, *Ulpianos*, *Paulos*, addat vnum *Iuliam Clarum*, & ipse erubescet. Tanto erubescet magis, quanto adversùs verba tua, quæ sunt de *inscriptione*, insurgit ipse à *vinculo inscriptionis*. Calumnia sequitur manifestior, quum insultat tibi, veluti de civili iure

notāti, quæ ſunt de Canonico? & verò tu de Canonico adnotaſti. *Et iure* (inquis) *Canon.* Quibus hæc legit oculis? Illa quibus auribus audivit? Plura ſic ſunt, quæ tu obſerves facilè, diſpellas nullo negotio. Revertor ego ad quæſtionem. In quâ per deridiculum reſponderi miror *Burgenſi* noſtro, quem princeps Ebraicæ literaturæ facit *Druſius* tanti, vt ſcribat alicubi, eum *ſibi ſatis eſſe auctorem.* Et de quo alij docent plures viri ſummi. Et cui ſemper plurimum deferre omnes ſolent. Dandum amplius Ebræis eſt, & alijs omnibus in ſuâ cuiuſq; linguâ. Quod tu ſapientiſſimè monuiſti, & ego de P. *Victorio*, ac P. *Manutio* retuli aliquando, ni fallor. Dandum & teſtimonio eorundem plurimum de inſtitutis ſuæ cuiuſq, eſt gentis. Et igitur magnum ſit teſtimonium *Abulenſis* tui, in quo & conteſtem habet *Burgenſem*, ne liceret repudiare vxorem, niſi propter fornicationem. Nec verò Doctor *Pyus* reſpondet ſatis, quod hoc intelligatur de lege illâ *Naturæ, & Dei*: aut quod *Abulēſi* tota reclamabit Judæa, Judæorumq; per vniverſum orbem coloniæ & ſepultæ reliquiæ. Nam loquitur (vt de ſuo Pyi libro video) *Abulenſis*, non de lege illâ *Naturæ*, & *Dei*, ſed Moyſis: *Secundùm hanc legem*, ait. Mittat *Vſitatum* & *Quotidianū* Doctor nobis; qui de *iure* diſputamus. Mittat, opponere *vſitatū* interpretibus iſtis Legis. Mittat, excipere Phariſęos illos, qui ad Chriſtum acceſſerunt, & dubio procul pro communi opinione tenuerūt, licere cuiq; vxorem dimittere quâvis de cauſſâ. Imò enim contraria communis videatur opinio Pyo, ſi is *Druſio* credet, non *Abulenſi* iam ſoli. Et imò Phariſæi illi (vt ego dixi) adfirmatè nihil proponunt. Aut etiamſi proponerent, fuerint ipſiq; tum corruptiſſimi, & corruptionibus populi ad Chriſti odium velificaverint. Dicam ego viro reverendo, ac docto, pace ſuâ, & bonâ veniâ, eum teſtimonijs *Druſij*, *Abulenſis*, *Burgen-*

gensis nec respondisse, nec posse satis respondere. Atq; quod errarit *Burgensis* turpiter in dictione, de quâ quæritur, explicandâ, id quidem etsi ego non iudicem, sit necne verum, qui Ebraicæ linguæ totius sum ignarissimus: videor tamẽ mihi intelligere, Pyj disputationem adversariam, non habere ponderis tantũ, quantum ipse existimat. Quid namq; si vocabulũ *nuditatis* est multiplicis significationis? Acceptio eius tamen erit ex materia subiecta, atq; ad *personam* quum refertur, *hominis pudenda* notat: vt *Pyus* ipse scribit; hîc autem, vt sonant verba legis, refertur ad *personam* liquidò. Notabit autem hîc, quod sit turpitèr cum pudendis: vbi alia notare nequit, quę sunt matrimonij, aut naturæ certissima, ac perpetua. Et sic igitur quia non causa quælibet, neque etiam turpitudo aut fœditas quælibet, sed nuditas, fœditas, turpitudo illa est causa: & illîc fœditas nihil habet; vel potest significare aliud quàm scortationẽ: illic turpitudo significet scortationem. Et ad hæc tam concludentia, tamq; perspicua addere non oportuit vocabulũ aliud, quod soleat alibi addi, vbi vocabulo eodem scortatio demonstratur. Scilicet *rei demonstratæ frustrà additur demonstratio*. Neque tamen ego scio, si non & alibi sine vocabulo alio, vocabulum nuditatis sit scortationi designandæ: de quo tu, alijque periti Ebraicarum videbitis. *Ad pudorem nuditatis*, hoc ipsum scortationis mihi videtur libro primo *Samuelis*. Sed omninò ego hoc nolo excutere: qui & putem, ex supradictis stare adhuc argumentum meum satis, & tuum. Nec ei obstare argumentũ adversum, quod duritas cordis non sit, dimittere adulteram, quã Deus etiã morte puniri iubet. Imò enim in privata vindicta hîc est duritas. Est in eo summa duritas, quod mulieres ferre scortatores viros cogebantur semper: viri ilicò nec convictas potuerint dimittere vxores ad eum modum. *Estote mise-*

ric-

ricordes, sicut & pater vester misericors est, ait Christus. Sed *Deus* scortanti Ecclesię spontè quoties ignovit? Si nobis ignosci rogamus peccantibus, duritas nostra est, non ignoscere alijs. Quod nobis fieri volumus, idē nos alijs non facere, duritas est. Quæ *Augustini* hîc sunt. *Quod autem tibi durum videtur vt post adulterium reconcilietur coniugi coniux, si fides adsit, non erit durum*, vt idem scribit. Itaque quod doctori *Pyo* non durum videtur, vt post adulteriū dimittatur cōiux, si fides adsit, erit durū. hîc nobis noster Dr. declamitat quoq; impudicitiæ fręna laxari, effusis libidinibus omnes aditus reserari, & quid non? Contra quę sunt & nostra nobis, & certiora. Sed quid si tamen ex concilio aliquo, & ex Patribus nonnullis respondemus, hîc & pœnitentiā desiderari: & non sæpe virū cogi recipere peccatricem? Doctor *Pyus* nec semel vult retineri: & lenocinium, & stultitiam, & impietatem retinenti obiectat. Quod & dici potest, quemadmodum traditur illo concilio, *pœnitētiâ non peractâ*. Id & jure Canonico est certè, id nūc Civili, vt possit sic retineri. Aut dicat nobis nūc apertiùs noster Doctor, si cum quibusdam sanè sic sentit, non licere vllo modo vxorem adulterā retinere? Si quod de Proverbijs citat, stultitiæ, & impietati cōvincendę viri, illud Dei verbū esse putet, an humanæ manus assumentū? Et ergo videt, quàm sint ista nihili, quæ contra nos dicit Doctor noster. Levia mihi vidētur omnia; & certè sunt leviora multò, quàm ipse putat, quamq; alijs ostēdere tentat. Si placet, etiam notulas meas, (ecce adiungo huic epistolę) leges, quas apposui Epistolę Doctoris, dum legi illam iterū. Lege, si placet, & Vale. Londini in magna grassantis pestis trepidatione die 12. *Aug.* 1603.

Prov. 18. qui tenet adulteram stultus est & insipiens non habetur in Hebræo.

Tuus ALBERICVS GENTILIS qui, sive vivimus, sive morimur, Deo in Iesu vivimus, & morimur.